



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Perfectionibvs Moribvsqve Divinis Libri XIV

Lessius, Leonardus

Antverpiae, 1620

Liber XII. De Misericordia Dei, & obiter de Patientia, Mansuetudine, & Clementia eiusdem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46817)

D E  
 PERFECTIÖNIBVS  
 MORIBVSQVE  
 DVINIS  
 LIBER DVODECIMVS,  
 DE MISERICORDIA DEI,  
 ET OBITER  
 DE PATIENTIA, MANSVETVDINE,  
 ET CLEMENTIA EIVSDEM.  
 CAPVT PRIMVM.

*Quid sit Misericordia.*



MISERICORDIA est virtus incitans voluntatem ad opitulandum alienæ miseriæ, eamque depellendam. Potest autem quis ad hoc incitari vario intuitu & fine. Primò, Ob vanam gloriam, sicut Pharisæi, qui eleemosynam daturi canebant tuba; specie quidem congregandorum pauperum, sed reuerà, vt toti mundo suum opus ostentarent, & inde laudem ac existimationem captarent: de quibus Dominus ait: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Sic non est virtus, sed vitium cenodoxiæ. Secundò, Ob quemuis alium finem inhonestum: & sic pertinet ad illud vitium, cuius affectu imperatur; vt si des eleemosynam vt pertrahas ad harretim, ad libidinem, ad homicidium, contrahet malignitatem illius

Matthæi 6.



lius peccati, & pertinebit ad vitium illi respondens. Tertiò, Fieri potest ob finem honestum, & sic erit opus imperatum ab ea virtute, quæ illius honesti rationem respicit, poteritque esse opus Religionis, vel satisfactionis, vel charitatis, &c. prout ex affectu harum virtutum procedit.

*Actus exterioris misericordie potest ex affectu diversarum virtutum procedere.*

2 Sed difficultas est, utrum misericordia sit virtus à ceteris, præsertim à charitate, distincta. Videtur non esse: nam in opere misericordie non conspicitur vlla ratio honesti propria, quæ ad aliam virtutem non pertineat. Vel enim tollis alienam miseriam, & opus misericordie præstas, ut te importunitate petentis liberet, sicut amicus ille in parabola Domini, qui nocte surgens panes amico commodavit, non quia amicus, sed ut improbam importunitatem eius à se excuteret. Et Petrus Telonarius, qui importuna pauperis quiritatione exandescens, arreptum panem in illum veluti lapidem iracundè contorsit, ut in vita S. Ioannis Eleemosynarij refertur. Verum hoc modo non est virtus, sed potius amor proprius: non enim intenditur levatio miserie alienæ, aut aliqua alia ratio honesti, sed depulsio incommodi proprii, quæ per se est indifferens, omni virtutis laude carens. Huic tamen potest esse coniunctus affectus miserie alienæ subleuandæ, qui ad virtutem pertinet: & fortè ratione illius, eleemosyna illa Petri Telonarij in visione ostensa est aliquo modo placuisse Deo.

*An sit virtus distincta.*

Lucæ 11.

Vel id facis, quia cupis ut ei benè sit, & sic est actus charitatis seu dilectionis proximi. Dilectio enim primò & immediatè inclinatur in bonum alterius, illud volendo & procurando non sui commodi causa, sed tantum, ut illi benè sit; secundariò & ex consequenti, in depulsionem mali. eiusdem enim rationis sunt, velle & procurare alteri bonum, & dolere eius malo, illudque depellere: alterum enim ex altero sub vna ratione formali obiectiva oritur. Vis enim & procuras illi bona, ut ei benè sit; ob eundem finem odisti, & depellis eius malum. Confirmatur; Quia affectus fugæ fundantur in affectibus persecutionis, & ad eandem virtutem pertinent: sicut etiam in actibus intellectus eiusdem scientiæ est, assentiri alicui veritati, & negare eius oppositum. Itaque hac ratione misericordia nihil videtur esse aliud quàm charitas inadæquatè spectata, quatenus nimirum respicit depulsionem miserie, & extendit se ad suum secundarium actum. Denique, vel tollis miseriam alterius non eo affectu, ut illi benè sit, sed ne illi sit malè; nimirum quia incongruum & inordinatum tibi videtur, eum, qui eiusdem tecum est naturæ,

D d      tantis



tantis conflictari miseris, cum tu tam commodè habeas. Inter bene enim & malè, feliciter & infortunatè se habere, est status quidam medius, notabili carens & molestia & commodo.

*Qua ratio  
possit statui  
peculiaris  
virtus.*

Si ergo tantummodò in opere misericordiae spectetur, ut is qui afflictus est, illa notabili molestia careat, non autem ut ei bene sit, nec habeatur ad illum affectus amicitiae (ut cum inimico, qui maiore quam velis calamitate oppressus est, subvenis ad hoc solum, ut illo excessu calamitatis liberetur) sic misericordia videri possit virtus distincta à charitate & ceteris; nam spectat propriam & particularem rationem honesti; quam aliae non respiciunt. propriam enim laudem habet, miseriam proximi, & illud inordinatum quod ex miseria illius resultat, tollere.

Huic tamen sententiae obstare videtur, quòd misericordia hoc modo considerata, semper supponat & includat aliquam communionem & affectum illius communionis, ratione cuius apprehenditur inordinatio in miseria alterius. Videtur enim nobis inordinatum & incongruum, eum qui nobiscum est eiusdem naturae, vel Religionis, vel officij, vel sanguinis, vel patriae, vel studij, istis miseris conflictari, cum nos tam commodè agamus, & illi possimus subvenire. Itaque volumus tollere veluti dedecus naturae, Religionis, patriae, &c. idque ex affectu ad illud in quo est communitio. Itaque si ex affectu communis naturae id faciamus, videtur pertinere ad aliquam benevolentiam generis humani, si ex affectu Religionis Christianae, ad virtutem Religionis; si ex affectu patriae, ad pietatem in patriam. & sic de ceteris. Pari modo benevolentia erga aliquem ratione communis naturae, ratione Religionis, ratione patriae, ratione sanguinis, ad diversas virtutes pertinet. Ex quibus videtur confici, misericordiam hoc modo non esse specialem virtutem, sed diffundi per omnes & quamlibet virtutem, quatenus intuitu & affectu proprii boni ac honesti miseriam ab aliquo depellit, misericordiam vocari.

*Quo modo sit  
virtus à ceteris  
distincta.*

Vici tamen potest, in tollenda miseria naturae rationalis, vel humanae, esse peculiarem rationem honesti; quatenus ea videtur incongrua illi naturae per se spectatae, ac eò praestanti & sublimi; etiam si id non fiat ex singulari affectu erga illam naturam, aut erga aliud bonum quod tibi cum altero sit commune; & hac ratione misericordiam esse specialem virtutem à ceteris distinctam. Cum autem ex peculiari affectu boni seu honesti alterius virtutis hoc fit, tunc actum externum misericordiae imperari ab illa virtute, &



te, & ad illam virtutem pertinere propriè affectum internum, vnde opus externum miseriam subleuans proficitur.

Dices, Affectus tollendi alterius miseriam, est affectus displicentiae & odij erga illam miseriam tamquam erga malum: atqui omnis affectus odij, erga malum nascitur necessariò ex affectu amoris erga aliquod bonum: ergo quomodocumque actus misericordiae consideretur, necesse est vt procedat ex aliquo affectu ad aliquod bonum. Respondeo, Nos id non negare. Procedere enim potest ex affectu quodam quasi iustitiae, quo quis cupit cuique rei inesse id quod ei secundum naturam est consentaneum, etiam si erga ipsam rem peculiarem affectum non habeat. Potest enim amari proportio & congruentia rerum, etiam si ipsa res non ametur. Ex hoc affectu prouenit, vt displiceat id quod ei dissentaneum seu malum, & velit illud tollere: quod est misericordiae. Fateor tamen, opera misericordiae ordinariè ex hoc affectu non procedere, sed potiùs ex affectu charitatis: ac proinde hanc virtutem non videri distingui à charitate, sicut supra est explicatum. Hinc fit vt dilectio proximi ferè tota consistat in operibus misericordiae.

*Non videtur  
distingui à  
charitate.*

## CAP V T II.

*Deo perfectissimè competere misericordiam, eamq;  
duplicem vel triplicem.*

4 **S**I VE misericordia spectetur, vt ex affectu benevolentiae miseriam tollit, (quo modo non distinguitur re ipsa à charitate,) siue vt ex odio & displicentia illius inordinationis in natura rationali, (qua ratione videtur virtus distincta, & suae speciei,) ipsa est perfectissimè in Deo. Cum enim ipse omnis boni, omnisque perfectionis, commodi & felicitatis sit fons, auctor, & largitor; ipse quoque omnis miseriae (vt quae nisi collatione boni non tollitur) est peremptor & exterminator: in qua tollenda quatenus mouetur affectu benevolentiae, vt creaturae bene sit, est actus charitatis: quatenus verò displicentia illius inordinati, est actus distinctae virtutis misericordiae. Sed quia Deus in tollendo malo potissimum spectat vt creaturae bene sit, misericordiae opera potiùs sunt charitatis, quam alterius virtutis, & ita ipsius misericordia est ipsa charitas inadaequatè considerata, nimirum vt tollit malum dilecti ex affectu quo vult illi bonum, vt ei sit bene & optimè.

*Misericordia  
est perfectis-  
simè in Deo.*

D d 2

Nec



An includat  
imperfectionem,

Nec obstat quòd *miseriordia* videatur includere tristitiam & afflictionem animi, cum cordis quamdam miseriam insinuet, quæ ex sympathia alienæ miseræ concipitur: quia hæc afflictio non est de ratione misericordiæ, quæ simplicem affectum voluntatis ad opitulandum alteri significat, sed est solùm quid comitans misericordiæ affectum in nobis, qui proximi miseria spectata, ei compatimur & condolemus, à quo dolore tamquam à nobis notiori virtus ipsa nomen traxit. Vnde etiam si in Deo non sit illa cordis afflictio, nisi metaphoricè; ipsa tamen misericordiæ virtus, cum nihil imperfectionis includat, sed perfectionem potius summam, (si ipsa summa sit) supponat; in Deo formaliter & propriè existit. Simili modo in Deo constituenda est ira, non vt turbidum animi motum, qui humorum concitatione rationem obnubilet, sed vt simplicem voluntatis affectum ad ultionem accensum denotar. Quia tamen ira propriè significat motum animi bilem concitantem, misericordia verò simplicem subventionis affectum, quamuis à miseria cordis nomen traxerit, idcirco ira in Deo ponitur metaphoricè, misericordia propriè.

Commendatur in scripturis.

*Miseriordia* Dei luculentissimè commendatur in Scripturis: 6 & quia satis exprimi nequit, utpote omnem cogitationem & sermonem superans, & omnem miserendi affectum includens, multis & variis modis & verbis proponitur. Exodi 34. *Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multa miserationis, & verax, qui custodis misericordiam in millia, qui auferis iniquitatem, & scelera atque peccata.* Psalm. 85. *Et tu Domine Deus miserator & misericors, patiens, & multa misericordis.* Similis verborum synathrismus, quo omnes misericordiæ modi & affectus insinuantur, habetur Sapientia 15. Ionæ 4. & alibi. Psalm. 32. *Miseriordia Domini plena est terra.* & Psalm. 144. *Suavis Dominus uniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.*

Duplex in Deo misericordia.

Porro duplex in Deo misericordia conspicitur; altera generalis, altera specialis: illa prior, hæc posterior: non per se & ratione affectus internus prior aut posterior; sic enim utraque semper existit, utpote æterna: sed ratione operis externi, & effectus creati. Illius enim effectus est prior, huius posterior.

Generalis est, qua ab initio tota creatura rationalis, Angelica & humana (& propter humanam totus iste mundus corporeus) ad bona supernaturalia, & statum beatum, quo defectus naturæ tollerentur, est destinata. Cum enim natura rationalis per se sibi



fibi que relicta, fit multis subiecta defectibus, imperfectionibus, & veluti miseris: immensa Dei bonitas cum statuisset illam ex nihilo condere, & donis omnibus naturæ debitis exornare, videretque eam adhuc tot defectibus obnoxiam, & tanto à visione ipsius intervallo disunctam, misericordia motus statuit illam ad ordinem supernaturalem, & æternorum bonorum suorum communionem, qua omnes illi defectus profigerentur, sublimare & attollere. Hæc est misericordia prima, de qua intelligi potest illud Prophetæ Psalm. 144. *Suavis Dominus uniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.* Si enim super omnia opera, ergo etiam super Angelos effusa. At quando, nisi cum illos ad supernaturalem statum euexit? Effusa quoque super omnem creaturam corpoream, quia cum hæc tota sit propter hominem, dum hic ad statum illum sublimem eleuatur, ipsa quoque simul attollitur, vt domus & habitaculum habitatoris sui dignitati congruat. Insinuat hoc Apostolus ad Rom. 8. *Vanitati, inquit, creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloria filiorum Dei.* & B. Petrus Epist. 2. cap. 3. *Nouos celos & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.* Idem colligitur ex cap. 21. Apocalypsis, & 65. Isaia. Denique totam creaturam innouandam, & pro suo captu ad statum incorruptibilem & gloriosum subuehendam, est communis Patrum & Sanctorum doctrina.

8 Prima autem rerum productio, quatenus ex nihilo in suas species & naturas cum perfectionibus naturalibus sunt condita, non tam misericordiae, qua depellitur miseria, quam bonitati seu benignitati, qua fons est omnis boni creati, adsignanda videtur. Cum enim creatura penitus non esset, non erat proprie misera, aut vlli malo subiecta: nam malum est priuatio boni quod deberet inesse, vnde supponit subiectum existens cui inlit, & cui bonum contrarium inesse possit. Si tamen malum & miseriam non ita strictè accipiamus, sed generalius, pro quouis positivo, priuatio, aut negatio, à quo natura abhorret, sic non-esse non paruum est malum, nec modica miseria: est enim summa imperfectio, summusque defectus totum bonum exhauriens, à quo omnis natura rerum vehementissimè abhorret. nihil enim natura ita refugit ac sui interitum. Vnde & animantia & homines grauissima mala perpetiunt, quam subire interitum, quasi hoc sit peius & miserabilius.

Generalis & prima misericordia fuit subiecta naturæ rationali ad statum supernaturalem.

Prima productio.



lius. Hoc modo triplex misericordia vel misericordiae opus statui potest.

*Triplex misericordia.* Prima est, qua res omnes, praesertim ratione praeditae, ex nihilo, in quo aeternum retrò velut sepultae delituerant, in suas naturas productae sunt. Deus enim in tanto defectu tantaque imperfectione (qua maior animo concipi nequit) illas videns, misericordia quadam commotus statuit imperfectionem illam tollere, easque ex nihilo sui tenebris in lucem essentiae & vitae educere, naturam formare, speciem distinguere, suisque facultatibus & ornamentis instruere. Secunda est, qua rerum totam naturam statuit ad supernaturalem statum extollere. Tertia est, qua naturam humanam à statu supernaturali prolapsam tum in peccatum, tum in suas naturales miseras, tum in mortem aeternam, constituit reparare, & maioribus praesidiis supernaturalibus us quam antea fulcire.

*Prima misericordia.* Magna & admirabilis est misericordia prima, qua omnia ex profundo nihili educta, ad celsitudinem essentiae & naturae sunt euecta: infinite enim melior est essentia cuiusque quam acceperunt, quam nihilum unde emerferunt. Verum infinite praestantior est misericordia secunda, qua omnia ad supernaturalem ordinem eleuata: nam infinite praestantior est gratia quam natura, & status ille diuinus quam conditio naturalis, & communicatio bonorum diuinorum, quam omnia dona naturalia. Sed & hac misericordia infinite praestantior est tertia, qua diuina natura copulata est humana in vnâ personam, per quam nobis praestita redemptio; remissio peccatorum, iustificatio, & omne bonum. De prima & secunda misericordia satis dictum est Libro IX. De Benignitate diuina, & Libro X. De Dominio proprietatis. Nunc dicendum de tertia.

*Secunda misericordia.*

*Tertia misericordia.*

## CAPVT III.

*De lapsu hominis: & cur homo potius quam angeli lapsi redemptus.*

*De tertia misericordia.*

**P**ROLAPSA natura generis nostri in primo parente, fraude diaboli à statu supernaturali, & amissa iustitia originali ceterisque virtutibus, (fidem & spem excipio) subtracta etiam singulari illa Dei protectione ac directione, & partis inferioris obedientia, & im-



immortalitatis dono, in miserimum statum incidit; neque aliud restabat, quam ut sibi relicta, suo pondere & impetu instar fluminis cuiusdam de peccato in peccatum ruens, per varios anfractus errorum & dolorum in pelagus exitij sempiterni deuolueretur. Tanta enim erat ad malum pronitas, ut nihil ferè nisi peccare posset; tantus impetus, ut à nemine nisi à solo Deo posset sisti ac inhiberi; ipsum verò malum tam atrox ac penitus inolitum, ut à nullo præterquam à Dei manu posset excindi.

11 Deus igitur, cuius misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, intimis misericordiæ visceribus commotus, statuit nos ista multiplici miseria eripere, & rursus ad statum supernaturalem erigere. Verum id nec ita conuenienter, nec satis fructuose fieri poterat, nisi & pro peccato iustitiæ diuinæ æquiualens satisfactio exhiberetur, & fons quidam perennis ac inexhaustus, quo peccata, quotiescumque homines in ea inciderent, deleri possent, constitueretur. Parum enim fuisset, in pristinum gradum iustitiæ restitui, nisi etiam futuris lapsibus in tanta infirmitate & mali procliuitate fuisset consultum. At neutrum illorum à pura creatura præstari poterat: nulla enim pro homine liberando poterat offerre pretium æquiualens, nulla etiam fontem perpetuæ remissionis & iustificationis construere. Tanta enim est vel vnus peccati mortiferi malignitas, tanta in maiestatem illam infinitam iniuria, ut omnibus Sanctorum, Angelorum, & hominum obsequiis, laudibus, cultibus, precibus, humiliatibus, pœnitentiis, afflictionibus ex æquo, & ut ita dicam, ad æquilibrium iustamque æqualitatem nequeat compensari, ut infra de Iustitia ostendetur. Cum igitur nullum remedium nec in terra nec in cælo malis nostris medendis, & bonis amissis recuperandis appareret, nec vllus Angelus aut vlla mens creata quidquam congrui auxilij posset inuenire, misericordia diuina inauditum, admirabile, ineffabile, incomprehensibile, omnibus sæculis, omnibus Angelis & hominibus obstupescendum excogitauit consilium; nimirum, ut Filius Dei, Sapiencia genita per quam facta sunt omnia, natura nostram sibi copularet, & in ea ac per eam totum genus humanum repararet. Nisi enim reparator noster esset Deus, non posset exhibere pro offensione & iniuria à nobis in Diuinitatem commissa quidquam æquiualens: nec constituere perennem & indefectibilem reconciliationis thesaurum. Nisi esset etiam homo, cessaret meritum, cessaret satisfactio, cessaret exemplum, cessaret illa suavis &

natu-

*Difficilis  
redemptio*

*Duo erant  
necessaria ad  
nostram re-  
parationem.*

*Malitia pec-  
cati quomo-  
do infinita.*



naturæ congruentissima prouidentia, qua res per ea quæ sui sunt generis gubernantur.

*Cur homines potius q̄m Angelos restituit.*  
*Vnus Angelus, si natura spectetur, æquiualeat infinitis hominibus.*

Sed cur potius genus humanum quàm cœtum angelicum qui ceciderat, reparare voluit? Vnus enim Angelus, si natura spectetur, æquipollet infinitis hominibus. cuius signum est, quod infiniti homines infinito temporis tractu non possent tibi tantam comparare sapientiam, quanta vel in vno est Angelico spiritu; imò nec centesimam quidem illius partem. Deinde, omnes totius mundi exercitus, & tota generis humani multitudo omnibus suis armis instructa, non posset vel vni Angelo resistere, aut eius vim sustinere. cur ergo naturæ tam eximie non est habita ratio?

Bernardus  
 Scrm. 1. De  
 Aduentu.  
 Greg. lib. 4.  
 Moral. c. 9.

Multæ sunt causæ, quarum hæ præcipuæ. Prima, Quia homo fraude naturæ superioris in culpam prolapsus est; angelus sponte sua. Et quamuis superiores forte induxerint inferiores, videbant tamen isti alios suos socios pestiferæ suasioni resistentes, eorumque exemplo debebant confirmari.

Bernardus &  
 Gregorius  
 supra.

Secunda, Quia genus humanum, exceptis duobus primis hominibus, voluntate aliena absque proprio consensu lapsus est: angeli suo iudicio, suo arbitrio, & propriæ voluntatis electione peccarunt.

Gregorius.

Tertia, Quia ob perfectissimam cognitionem, & solutum animi impetum, peccatum illorum erat incomparabiliter grauius: sicut ob eandem causam illorum bona opera sunt maxime meritoria. Hominis notitia est multò obscurior, & affectus passionibus obsitus longè imbecillior. Vnde homini longa via & longum tempus merendi constitutum, Angelo breuissimum.

Lucæ 1.

Denique, Misericordiæ indoles est inclinare vbi maior miseria, abiectio, vilitas. *Deposuit enim potentes de sede, & exaltauit humiles.* Facile est Deo, vilitatem naturæ cælestium donorum præstantia compensare. Vt igitur nostrum genus, non vt angelos redimeret, mirabile illud consilium suscipiendæ carnis humanæ misericordia diuina injuit.

Maximum  
 misericordiæ  
 opus.

Hoc igitur post lapsum est primum & maximum misericordiæ diuinæ in nos beneficium, vtpote infinitum, & aliorum multorum, quorum singula infinita sunt æstimationis, origo & fundamentum; quo maxime Deus infinitum suum in nos amorem & misericordiam declarauit. De quo Dominus ipse Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quis hoc animo voluens



voluens non obstupescat? quis tantæ benignitatis consideratione  
 lacrymas contineat? quis in obsequium Dei vicissim se non liben-  
 tissimè expendat? *Sic*, tam intensè, tam effusè, tam ardentè, tanta  
 æstimatione, tanti illum fecit & appetiuit *Deus*, illa infinita ma-  
 iestas, nullius egens, sibi sufficientissima, qui verbo creauit omnia,  
 cui tot milliones seruiunt Angelorum, & qui momento temporis  
 infinitos alios multò excellentiores seruos & cultores sibi ex nihi-  
 lo poterat condere; *Mundum*, humanum genus, infimum naturæ  
 rationalis terminum, brutis affine, terrenis additum, cælestium  
 inane, immundum, ingratum, inimicum, rebelle, in quo nihil di-  
 gnum amore, plurima digna odio & supplicio. Obstupescite ho-  
 mo; angelicis spiritibus, tam sublimi ingenio & natura præditis in  
 sua damnatione relictis, tibi vilissimo & nullius pretij vermiculo,  
 à magno illo Numine tam immeritum amorem & fauorem exhi-  
 bitum. *Filium suum vnigenitum*; non Angelum, non Cherubi-  
 num, non Seraphinum, non filium aliquem adoptiuum, sed Fi-  
 lium suum vnigenitum, naturalem, consubstantialem, eiusdem  
 maiestatis, potestatis, sapientiæ, excellentiæ, quem infinito dilexit  
 amore, cui totam suam substantiam, vnà cum omnibus suis per-  
 fectionibus & thesauris bonorum ab æterno profudit. *Daret*, in  
 Rectorem, in Doctorem, in exemplum vitæ; in Redemptorem, in  
 pretium & satisfactionem pro peccatis; in thesaurum perpetuum  
 iustitiæ & reconciliationis; in iuge Sacrificium, in Sacerdotem  
 æternum; in panem vitæ æternæ, & alimentum immortalitatis,  
 in pignus futuræ gloriæ; in Regem, Iudicem & remuneratorem  
 viuorum & mortuorum; in gloriam & triumphum cælestis patriæ.  
*Daret*, ad vnionem nostræ naturæ, ad nuditatem & paupertatem,  
 ad labores & incommoda huius vitæ, ad contumelias & persecu-  
 tiones, ad alapas & sputa, ad flagella & spinarum punctiones, ad  
 omne genus probrorum & dolorum, ad cruce[m] & mortem, vt  
 totius nostri generis peccata in se susciperet, eaque in suo, quasi il-  
 lorum auctor ac reus, lucret corpore. *Vt omnis qui credit*. Totum  
 hoc fecit vt nos ab exitio sempiterno, cui addicti eramus, eriperet,  
 & æterna vita donaret: nec à nobis requirit aliud, quàm vt creda-  
 mus in Filium, ei que obediamus.

*Explicatur  
 locus Ioan. 1.*



## CAPVT IV.

*De incarnationis Verbi necessitate.*

*Primum opus  
misericordiae  
tertia, incar-  
natio Verbi.*

NUNC singula misericordiae huius beneficia consideremus. <sup>14</sup>  
Primum igitur & fundamentum ceterorum, vt dicebamus,  
est *diuini Verbi incarnatio*, qua natura nostra per omnipotentiam  
Dei supra omnem creaturam eleuata & attracta, Filio Dei substan-  
tialiter & hypostaticè adstricta est & vnita; ita vt iste homo cœperit  
esse Dei Filius naturalis, verusq; Deus impassibilis, immortalis,  
aeternus: & contra Filius Dei verus Deus, cœperit esse verus homo  
passibilis, & mortalis. In hoc tria sunt perpendenda. Primum, An  
fuerit necessaria. Secundum, Quomodo facta sit. Tertium, Quan-  
tum hoc sit beneficium.

*Necessitas  
incarnatio-  
nis Verbi.*

Quod ad primum attinet: necessarium fuit diuinæ Incarnatio-  
nis mysterium ad reparationem nostram, non absolute, quasi nulla  
alia ratione posset nos liberare (poterat enim per absolutam & infi-  
nitam auctoritatem suam, vel gratis omnia condonare & in pristinum  
statum restituere, vel tenui aliqua satisfactione, qualis ab ho-  
mine præstari poterat, acquirere, vel Angelicas preces in ea re ad-  
mittere) sed vt ea modo optimo, Deique iustitiæ ac misericordiae,  
& hominis saluti congruentissimo perficeretur. In hunc sensum  
intelligendi Patres, cum dicunt, alia ratione hominem redimi non  
potuisse; quia nulla fuit tam congrua, tam Deo digna. S. Leo epi-  
stola 83. *Quæ reconciliatio esse potest, qua humano generi propitiaretur  
Deus, nisi omnium causam mediator Dei hominumque susciperet?* &  
Serm. 1. De Natiuitate: *Talis natiuitas decuit Dei virtutem, & Dei  
sapientiam Christum, qua nobis & humiliat, congrueret, & Diuinitate  
præcelleret. nisi enim esset Deus verus, non adferret remedium: nisi esset  
homo verus, non præberet exemplum.* Et Cyrillus lib. 5. Thesauri, c. 7.  
Hanc [immortalitatem] quia nullus homo poterat dare, ipse Filius Dei  
increatus secundum naturam, necessario vt homo creatur propter nos. &  
infra: *Quia imperfectum esse semper opus Dei non decuit, nec potuit ali-  
ter reparari quam incarnatione Verbi, necessario Dei Filius homo factus  
est.* Imò sancti Patres contra Arianos & Nestorianos probat Christum  
hominem fuisse verum Deum, ex eo quod pretium condi-  
gnum pro nobis obtulerit, nosque redemerit; quod peccatum &  
mortem sua passione destruxerit: apertè indicantes, ista alio modo  
præstari non potuisse. Cyrillus loco citato: *Quomodo Christus me-  
diator*



diator Dei & hominum erit, nisi verè sit Deus, & verè sit homo? & paulò post: Quomodo peccatum, quomodo mortem destruxit, si est creatura? Idem lib. 7. De Trinitate, pag. 2. Christus non esset condignum pretium totius creature redimendæ, neque sufficeret ad benè redimendam mundi vitam, etiamsi suam deponeret animam & sanguinem ut pretium pro nobis, nisi verè & Filius & tamquam ex Deo Deus. Et S. Augustinus in Enchirid. cap. 108. Nam neque per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, nisi esset & Deus.

15 Fuit iste modus saluandi per Filium incarnatum congruentissimus. Primò, Diuinæ iustitiæ, idque triplici ratione. Primò, ratione solutionis debiti, quia cum non esset conueniens ut iustitia diuina maneret semper violata ac læsa per peccatum, nulla facta reparatione idonea tantæ iniuriæ, per Verbum incarnatum exhibita est plena & æquiualens satisfactio, quam diuina iustitia postulabat, quæ à nulla pura creatura præstari poterat, ut Patres locis citatis insinuant. Secundò, ratione manifestationis iustitiæ: quia sic ostensus est summus rigor & seueritas iustitiæ diuinæ, ut quæ ad remissionem peccati infinitum pretium & satisfactionem infiniti valoris exigat. Ostensum etiam quanta sit peccati malitia, ut quæ nullis creaturarum operibus quantumuis bonis compensari, sed solo Sanguine Filij Dei possit deleri. Tertiò, ratione modi spoliandi diabolum; quia conuenientiore modo superatus & spoliatus est, dum non potentiæ virtute, sed iustitiæ ratione suo dominatu exuitur, victus ab illa natura quam vicerat, & amittens omnium seruitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem. quod pulcherrimè explicat D. Leo Serm. 2. de Natiuitate.

Fuit congruentissimus diuina iustitia.

16 Secundò, Fuit congruentissimus misericordiæ, quia nulla re magis charitas Dei in hominè & misericordia declarari potuit, quam donando Filium, ut Dominus ipse insinuat Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Nihil maius pro nobis facere potuit, nihil dare præstantius aut efficacius ad salutem. Videri poterat maior misericordia, si gratis peccatum condonasset, & omnes transtulisset in cælum; sed reuerà maior non fuisset. quia infinite amplius est dare Filium, quam quoduis bonum creatum: & longè præstantior est hæc saluandi ratio, qua satisfit iustitiæ, quam illa gratuita, qua absque satisfactione saluaremur. Si Rex deposito diademate suscipiat statum serui ut ipsum à morte liberet, longè maiorem illi charitatem & misericordiam exhibet, quam si sola

Misericordia ostendenda.



auctoritate nihil pendens iustitiæ, morti eximat. Iustitia diuina instar seueri iudicis hominem tenebat captiuum vinculis peccatorum cōstrictum, vt eum, morte æterna plecteret: accessit misericordia, & oblato diuini Sanguinis pretio, iustitiæ abundè satisfecit, & hominem redemit. Vnde Apostolus I. Corinth. 6. *Empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum incorpore vestro.* Deniq; quia hac ratione constitutus est homini perpetuus fons saluationis, semper patens ad ablutionem peccatorum, qui alia ratione constitui non poterat.

Sapientia & potentia declaranda.

Tertiò, Fuit etiam accommodatissimus declarandæ Dei sapientiæ & potentia. Tale enim consilium non nisi ab infinita sapientia excogitari, neque executioni, nisi ab infinita potentia, mandari potuisset. Quid enim difficilius vel admirabilius, quàm Deum fieri hominem, & hominem Deum, & eidem personæ inesse ac tribui omnia quæ sunt Diuinitatis, & omnia quæ humanitatis? Sic etiam ostensum est, Deum non solum aliquas sui participationes, & vmbaticas imitationes ad naturæ vel gratiæ ordinem pertinentes, posse creaturis communicare; sed etiam totam suæ Diuinitatis plenitudinem illis infundere, & substantialiter vnire; ac proinde esse tres gradus seu ordines generales rerum, ordinem naturæ, gratiæ, vniõnis hypostaticæ.

Homini in salutem perducendo.

Quartò, Est conuenientissimus perducendo homini ad salutem. Primò, ad confirmandum in fide. Quis enim non firmissimè credat, quod Deus ipse nobiscum visibiliter versatus docuit & confirmauit? Vnde S. Augustinus l. 11. De ciuit. c. 2. *Vt homo fidentissimè ambularet ad veritatem, ipsa Veritas Dei Filius homine assumpto constituit atque fundauit fidem.* Secundò, ad erigendam spem salutis. Nam vt ait idem Augustinus lib. 13. De Trinit. cap. 10. *Nihil tam necessarium ad erigendam spem nostram, quàm vt demonstraretur nobis quantum diligeret nos Deus. Quid vero huius rei isto indicio manifestius, quàm quòd Dei Filius nostra natura dignatus est inire consortium?* Et vt Apostolus ad Rom. 5. argumentatur, *Si cum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius: multi magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius.* Timidum est genus humanum, & diffidentia obnoxium, cum se tam longè ab illo beatitudinis statu distitum videt, & quid de se cogitet Deus, nescit. Sed quis desperet, cum Deum tanta & tam difficilia pro se fecisse videret, nec quidquam ampliùs ardui ad salutem suam ipsi patrandum restare? Non enim rursus carnem assumere, rursus laborare & pati debet,



debet, vt te saluet. Nec dubitare debes quin benignissimè de te cogitet, qui tanta pro te adhuc inimico fecit, si ipse pro modulo tuo responderis. Cur enim vellet pretium Sanguinis sui in te esse inane, & labores suos irritos & cassos? Tertio, ad excitandam charitatem. Quomodo enim tam inusitata & ineffabilis dilectio, qua dilexit nos, carnem nostram assumens, & Sanguine suo nos redimens, ad redamandum non excitet, si vel modicum perpendatur? Nullum sanè maius esse poterat amoris incentiuum, nullum potentius illicium. Quarto, ad incitandum studium omnium virtutum, quarum ille in vita sua dedit clarissima exempla. Ipse exemplo suo nos prouocat ad paupertatem, castitatem, obedientiam, ad honorum & seculi contemptum, ad humilitatem, ad zelum animarum, ad labores pro illis suscipiendos, ad patientiam, ad studium orationis, ad vigilias, ad ieiunia, denique ad omne opus bonum. Quis tantum ducem non libenter sequatur? quis Deum ipsum exemplo præeuntem & hortantem imitari detrectet? Quinto, ad sanctificandum hominem, & Deo coniungendum. Sicut enim omnes vnus inobedientia peccauerunt, & ab eodem nascendo peccatum & mortem contrahunt, ita conueniebat vnus obedientia omnes reconciliarentur, & ab illo spiritualiter renascendo sanctitatem haurirent & vitam. Vnde Apostolus ad Rom. 5. *Sicut per inobedientiam vnus hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per vnus obediendum, iusti constituentur multi.* Atqui fieri non poterat vt vnus obedientia vnus hominis reconciliarentur, & ab illo sanctitatem & vitam æternam haurirent, nisi ille esset Deus, qui est fons sanctitatis & vitæ. Id enim propter quod cetera sunt sancta, & viuientia vita spiritali, debet per se & vi sua esse sanctum & viuum. Hoc modo Deus vnum hominem sibi substantialiter vnians, & sanctum efficiens, per illum sanctificat ceteros omnes qui illi adherent, & spiritum, qui in ipso est, ad illos extendit. Sic omnes illi adherentes rediguntur ad vnum corpus, vt viuificentur ab illius spiritu, veluti vna mystica persona seu hypostasis vno capite, vno corpore, vno spiritu, sed multis membris constans. Vt enim ait Apostolus, *omnes vnum sumus in Christo*, sicut omnia membra sunt vnum corpus in homine.

19 Quinto, Fuit iste modus congruentissimus perfectioni totius vniuersi, & gloriæ Sanctorum. *Perfecti ipsi vniuersi*; tum quia homine assumpto, totum vniuersum quodammodo assumptum, & Diuinitati connexum. Nam in homine quodammodo est tota rerum

Ec 3 vniuer-

Rom. 12.  
1. Cor. 10.  
& 17.

Vniuersitati  
requis.



vniuersitas, quatenus in eo sunt omnes rerum gradus. Vnde & *μικρόκοσμος* dictus est à Philosophis. Itaque omnes rerum gradus in illo assumpti. Tum quia totum vniuersum accepit caput & rectorum sibi congruentem, nempe homogenum, ac eiusdem naturæ, siue natura corporea spectetur, siue incorporea. Tum quia sic vniuerso additus est supremus gradus communionis diuinæ. Cum enim antea solum constaret gradu naturæ & gratiæ, accessit gradus vnionis hypostaticæ, qui omnium est excellentissimus.

*Gloria Sanctorum augenda. Obiectum m secundariū beatitudinis, est Christi humanitas.*

*Gloria Sanctorum*, quia hæc tam illustri opere mirifice est aucta. Nam primarium post Diuinitatem beatitudinis obiectum, est humanitas Christi, tam sublimi modo Diuinitate refulgens. Plus enim inde gaudij omnes Beati percipient, quam ex tota Sanctorum societate, & Angelorum innumerabili frequentia.

Ex his patet, vnionem hypostaticam multis de causis fuisse congruentissimam, ac proinde necessariam, vt nostra reparatio modo conuenientissimo fieret.

## CAPVT V.

*Quomodo facta sit hæc vnio.*

*Modus quo facta est incarnatio.*

**S**EQVITVR vt consideremus *quo modo facta sit*. Sed quis hoc non dico verbis explicet, sed vel animo concipiat, quod etiam intelligentiam Angelicam superat? Verum etfi id perfecte à nobis intelligi nequeat, tamen potest propositis exemplis & analogico assensu adhibito aliquatenus apprehendi.

*Modus Nestorianorum*

Nestoriani volebant illum hominem, & illius naturam humanam ided dici coniunctam Diuinitati, quod ipse esset *Diuinitatis templum & tabernaculum*, in quo singulari modo Diuinitas habitaret ac coleretur: & *vestimentum*, per quod ipsa se hominibus visibilem quodammodo præberet; sicut Angeli assumpto corpore ex aëre tamquam veste, ad exhibendos se mortalibus visibiles, vtuntur: & *instrumentum*, per quod singulari modo Diuinitas operaretur, & *amicus* singulariter à Deo ductus, & vicissim Deum summe diligens. Itaque ponebant inter Deum & humanam Christi naturam solam vnionem per modum inhabitationis, & vestitus, & instrumenti, & amoris, ac proinde statuebant duas distinctas personas, humanam & diuinam, sicut & duas naturas.

*Refutatio.*

Verum etfi in vnione hypostatica isti quatuor modi eximie reperiuntur.



periantur & concurrant, non tamen sufficiunt: si enim non esset maior vnio, totum hoc mysterium, quod est salutis nostræ fundamentum, euerteretur. Sic enim Deus non esset factus homo, nec homo esset Deus, quod innumeris Scripturis manifestè repugnat. Sic Christus, utpote purus homo, non potuisset nos redimere, & Deo reconciliare, quia nec pretium æquiualens exhibere, non potuisset peccatum & mortem sua morte destruere, neque in se credentibus sanctificationem impertiri, neque illis dare potestatem filios Dei fieri; quia hæc ad eum solum, qui est ipsa sanctitas & vita, & Filius naturæ, pertinent, ut ex Scripturis constat, & Patres fusè probant.

1. Ioan. 1. 2.  
5. & 6.  
Act. 4.

Denique simili modo coniungitur plurimis Sanctorum: sunt enim templa Dei, & organa operum mirabilium, & amici dilectissimi, & interdum se per illos presentem exhibuit, ut cum in veteri Testamento loqueretur per Angelum. Debet ergo in Christo esse altioris rationis vnio, per quam iste homo non solum sit templum, & vestimentum, & organum, & amicus, sed etiam Filius naturalis, & æternus, & Deus ipse.

21 Eutychiani ut contradicerent Nestorianis, volentes tollere diuersitatem personarum, statuerunt vnã tantum in Christo post vnionem naturam, fingentes Diuinitatem conuersam in carnem, stulta prorsus imaginatione, quasi Diuinitas possit in carnem (tamquam vapor quispiam tenuis in aquam) crassescere; aut sicut res subtilis in palpabilem transmutari; aut ita possit cum substantia carnis misceri & confundi, ut inde aliquid tertium, sicut ex elementis corpus mixtum, exurgat.

Modus Eutychianorum

Itaque & Diuinitas mutabilis erit & mortalis: quod enim in aliquam naturam mutatur, suam exuit & amittit, alienam induit, vel aliena ei succedit. Caro quoque Christi non erit eiusdem nature ac nostra, sed vel phantastica, ut volebant Manichæi; & sic omnis Christi passio phantastica erit, & merum præstigiū oculorum: vel cælestis indolis & impatibilis, ut Valentinus & Apollinaris; quo modo quoque crux & passio euacuatur. Denique sic Christus neque Deus verus erit, neque verus homo, cum neutram naturam verè sit habiturus. Has duas hæreses doctissimè refutauit S. Leo epist. 10. ad Flavianum, quæ recepta & approbata est ab Oecumenica Synodo Chalcedonensi.

22 Vtroque igitur errore extremo damnato, certissima fide tenendum in Domino nostro esse duas integras, inuiolatas, omnibusque suis

Modus Or-  
thodoxorum,  
suis



suis naturalibus proprietatibus & conditionibus absolutas naturas, humanam & diuinam, easque ita in vnam coaluisse personam, vt vnus idemque sit verus Deus, & verus homo; habeatque omnia quæ sunt Diuinitatis, & omnia quæ sunt humanitatis; & omnia quæ Filio Dei vero Deo conueniunt, conueniant & huic homini; & quæ huic homini conueniunt, tribuantur quoque Deo. Est enim iste homo Filius Dei, est ab æterno genitus ex Patre: est vnà cum Patre principium Spiritus sancti, est Sapientia Patris, & omnium Opifex; est immensus, est incommutabilis & æternus, est omnipotens: rursus Deus factus est homo passibilis & mortalis, Deus natus est ex Virgine, Deus passus est, crucifixus, mortuus, sepultus. Hoc modo in Christo est idiomatum vtriusque naturæ perfecta communicatio, cum humana natura omnia sua communicet Verbo, & diuina natura sua omnia communicet huic homini. Sic quoque Christi persona, etsi vnica sit & simplicissima, tamen vt in duabus naturis completè subsistit, habet vim duarum; ita perfectè operans per vtramlibet, quasi illam solam haberet. Ad hoc non sufficiunt illæ vniones supradictæ, sed requiritur alia infinitè excellentior, quæ explicari potest exemplo insitionis, & animationis.

*Explicatur  
vniō illa ex-  
emplis.*

*Primo, exem-  
plo insitionis.*

*Insitionis*, vt si nobilissimo trunco pyri vnum ramum natura-lem habenti, inseratur ramus pruni. Hic primò vtraque natura manet salua & integra. deinde ita vniuntur in vno trunco veluti hypostasi, vt quodammodò fiat vna arbor, ratione vnus trunci in quo subsistunt, quæ simul pyrus & prunus dici possit. Tertio, Truncus quoque ille est alteri ramo naturalis, alteri extraneus: sicut hypostasis Verbi est naturalis Diuinitati, accessoria humanitati. Quarto, Vnio quoque est quodammodò substantialis: est enim continuatio quædam & connexio venarum & fibrarum trunci cum venis & fibris rami insiti, ita vt succum ex illis attrahat. Quintò, Ratione huius vnionis dicere possumus, pyrû producere pruna, & prunum pyra: & si ramus pruni exarescat, pyrû quodammodò exaruisse. Denique, fructus pruni excellentiam quamdam contrahent à succo tam nobilis trunci, sicut opera humanitatis à Verbo. Scio in hac comparatione multa esse dissimilia, & quædam haud ita propriè dici; tamen hoc exemplum non est contemnendum, cum in eo quædam adumbratio tanti mysterij possit notari, ex qua, sublati imperfectionibus, mens ad illud melius contemplandum queat assurgere. Nam & ipse Dominus seip-



seipsum vitem, & omnes ipsi instos palmites vocat. At nec ipse vitis esset, nec palmitibus vim ferendi fructum daret, nisi humana natura, secundum quam vitis dicitur, radici illi caelesti, Verbo diuino insita esset. Vtuntur hac similitudine multi DD. in 3. ex Theodoro Dialogo *Inconfusus*.

*Ignitionis*, vt in ferro candente, vel carbone ignito. Sicut enim ignis totum ferrum penetrat, occupat, & ad suam puritatem ac nitorem attrahit, sibi que penitus adstringit & vnit: ita Diuinitas naturam humanam totam penetrat, & omnes eius particulas sibi copulat. Et sicut illa vnio ignis cum ferro est intima, vt vix alterum ab altero distingui queat, manente tamen naturæ & proprietatum distinctione: ita quoque vnio Verbi cum natura humana est penitissima, ita vt hæc Verbi Diuinitate, (sicut carbo accensus) tota sit imbuta & resurgens, perseverante tamen naturali discrimine & integritate. Rursus, sicut durante illa vnione ferrum est incapax feruginis, nigroris & frigoris; ita humanitas incapax est peccati. Denique, sicut operatio ignis tribuitur ferro candenti, & contra (ferrum enim dicitur splendere, calefacere, vrere, accendere; & ignis potest dici secare, diuidere, penetrare, condensari; imperfectiones tamen ferri ignem non afficiunt: ) ita in hoc mysterio ea quæ sunt Diuinitatis tribuuntur homini, & quæ humanitatis Deo, sic tamen vt imperfectiones humanitatis Diuinitatem non lædant. Vtitur hoc exemplo Basilii Hom. De humana Christi generatione. *Quomodo, inquit, Deus Verbum humana fragilitate non est correptus aut inquinatus? Facile respondemus, Sicut & ignis de ferri proprietatibus non accipit. Nigrum quidem est ferrum & frigidum, at tamen ignitum & candens ignis formam subit, & quamquam ex eo splendens, ignem tamen sua nigredine non inficit; itemq; ardens flammam sua frigiditate non destruit, &c. Ignem sic intelligo ardorem illum, qui humidum primigenium & oleosum corporum mixtorum immediate occupat (siue illud forma sit substantialis, siue accidentaria) & illud si euaporat, in flammam vertit, si consistit, in speciem rutilantem.*

*Animationis*. Sicut enim anima rationalis & caro vnus est homo, ita (teste S. Athanasio in Symbolo) *Deus & homo vnus est Christus*. Maxima est distantia inter animam & carnem: anima enim est res subtilis, incorporea, simplex, viua, mobilis, pura, intelligens, immortalis, per se subsistens; caro est crassa, multiplex, impura, sordida, torpens, sensu & ratione destituta, corruptioni obnoxia: & tamen anima vi sua suoque contactu carnem extollit, & ad se attra-

Ff hit,

Secundo, exemplo ignitionis.

Comparatio vnionis hypostaticæ cū vnione corporis & animæ.



hit, sibiq̄ue substantialiter vnit, & vnus ex vtroque homo constat. Per hanc vnionem caro fit spiritalis, pulchra, viua, mobilis, & bonorum animæ particeps; ita vt omnis honor qui animæ deferretur, simul etiam deferatur carni. Rursus caro non gestat animam, sed anima carnem, & ipsa in anima veluti in sustentante recumbit, non autem anima in illa. vnde illa ad hypostasim animæ eleuata & vnita videtur. Præterea, iste homo, verbi gratia Petrus, simul est anima & caro, vel vt magis propriè loquar, animalis & carnalis. Vt animalis (deducto nomine ab anima rationali) est incorporeus, immortalis, & ratione præditus, vt carnalis, est corporeus, mortalis, & ratione carens, &c. Denique, quidquid operatur aut patitur caro, operatur vel patitur homo animalis: & quidquid operatur aut patitur anima, operatur vel patitur etiam homo carnalis. Simili modo, etiam si infinita sit distantia non loci, sed gradus & speciei, inter naturam humanam & diuinam, tamen Deus sua omnipotentia naturam humanam in infinitam celsitudinem supra omnem creaturam attollere, & ad hypostasim Verbi, (quæ naturæ humanæ & singulis eius partibus intimè tota præsens erat) insolubili & substantiali nexu adstringere & vnire potuit, ita vt iam non illa in se aut per se, sed in Verbo, veluti ramus terrenus in caelesti trunco, & veluti corpus in regente & sustentante se anima subsisteret. Neque idcirco Verbum mutari, sed humanitas eleuari, ad Verbum attrahi, & modum quemdam inexistendi Verbo accipere debuit. sicut cum magnes attrahit & copulat sibi ferrum, non magnes, sed ferrum mutatur: cum Angelus assumit corpus, non Angelus, sed corpus mutationem patitur: cum cera infunditur sigillo, ipsa, non sigillum mutatur: denique in sanctissimo Eucharistiæ mysterio, cum species à corpore Dominico inuisibiliter sub illis existente assumuntur, (vt ita dixerim) & illi copulantur, vt ab eo separari nequeant, quamdiu saluæ permanent, & nobis illud visibile quodammodo & tractabile exhibeant; non ipsum corpus Domini, sed species ipsas credibile est mutari. Potuit itaque Verbum diuinum, omnia penetrans, omnia sustentans, omnipotentia virtute sua naturam humanam apprehendere, & absque sui mutatione sibi adstringere, & vnione substantiali copulare, præsertim cum per se totum intimè præsens sit naturæ humanæ, & singulis eius partibus, multò magis quàm lumen aëri, vel anima carni. *Substantialem* illam vnionem voco, non quòd ad substantiam humanitatis pertineat, cum profus sit supernaturalis; sed quia non est res aliqua

*Ex mysterio  
Eucharistiæ.*



aliqua à substantia illius omnino distincta, verum modus immediatus substantiæ, quo ipsa proximè vnitur Verbo ad vnum suppositum substantiale constituendum. Sic vnio carnis cum anima non est de substantia carnis, sed modus substantialis vel carnis, vel animæ, vel vtriusque. Et si Deus in materia cælesti aliquam animam collocaret, vnio illa esset supernaturalis, tamen substantialis.

23 Verum hoc maximè admirabile & incomprehensibile in hoc mysterio, quomodo Verbum diuinum absque vlla noua habitudine ad humanam naturam possit eam ita sibi adstringere, vt ratione illius vnionis verè dicatur & sit homo. Sed prouenit hoc ex infinitate Verbi, quod sicut in aliis, ita etiam in ratione hypostasis vim infinitam habet, qua substantiarum omnium existencias per modum hypostasis possit terminare, naturas ipsas actuales per se formaliter hypostaticè sustentandæ. Sicut enim intellectio diuina propter suam infinitatem in ratione intellectiois, ad futura contingencia, & volitio diuina propter infinitatem in ratione volitionis, ad omnia existencia quorum ipsa est causa, se extendit, idque absque accessione alicuius habitudinis realis ad illas: ita quæuis hypostasis diuina ob infinitam vim in ratione hypostasis, talis est, vt possit se ad quamlibet naturam terminandam & sustentandam, absque vlla sui mutatione, vel habitudinis intrinsecæ accessione, extendere & proferre. Sufficit enim illa habitudo virtualis eminentissima, quam ratione suæ infinitatis habet, ratione cuius non minus perfectè vnitur, quàm si formalem, in se ipsam, & nouam habitudinem ad naturam humanam in assumptione acquireret. Recipit igitur ad se & in se Verbum diuinum naturam humanam, fitque eius hypostasis absque vlla sui mutatione, sola mutatione humanitatis, qua trahitur ad Verbum, & extensione seu habitudine virtuali Verbi, qua recipit & terminat humanitatem. Quare et si Verbum diuinum nullius extrinseci sit capax vt subiectum quod forma aliqua imbuitur, (hoc enim est potentialitatis, defectus, & inopiæ, vnde repugnat puro actui,) est tamen capax omnium naturarum substantialium, vt hypostasis, quod est signum exuberantissimæ perfectionis. Et quamuis omnis substantia sibi relicta per se existat, nulli alteri insita aut in hæres, sibi ipsa sufficiens hypostasis, tamen omnipotentia Dei potest illi dare modum quemdam inexistendi, quo formaliter existat in alio, præsertim in persona diuina.

*Punctus difficultatis in modo mysterij huius.*

24 Multa igitur in hoc mysterio totius misericordiæ pelago consideranda sunt miracula. Primum, Quod natura completa, quæ in

*scilicet huius mysterij decem.*



instanti formationis suæ per se alioquin substitisset, propriamque constituisset hypostasi, fuerit præuenta, accepto modo inexistenti, quo supra omnem creaturam eleuata existeret in Verbo. Secundum, Quod Verbum ita naturam illam exceperit eam sustentans, eiusque inexistentiam terminans, vt tamen nullam subierit mutationem, nullam intrinsecus nouam contraxerit ad illam habitudinem, nullum ordinem, nullam *posu* aut inclinationem. Sufficiebat enim infinita illa vis hypostatica, vt se ad illam naturam extrinsecus attractam & veluti insertam, absque vlla sui mutatione velut terminus & basis hypostatica extenderet. Tertium, Quod Verbum diuinum absque vlla noua habitudine ad naturam humanam factus sit verus homo, sitque inter naturam diuinam & humanam ratione vnionis in Verbo mutua complexio seu *con-*  
*phat*, vt Damascenus ait. Hoc miraculum sequitur ex duobus prioribus. Sed aduerte quod dupliciter quis possit dici homo. Primò, Per identitatem cum natura humana per se subsistente, quo modo quiuus purus homo dicitur homo. Nihil enim est quilibet homo purus, quam natura humana indiuidua per se subsistens. Hoc modo Verbum non est homo, cum ratio hominis ipsi sit extrinseca. Secundò, Per vnionem humanitatis cum aliena hypostasi. Esse enim hominem generatim, est habere in se humanitatem, siue per identitatem quis habeat, siue per vnionem, vt hypostasis extrinseca. Verbum igitur est homo, quia habet humanitatem sibi substantialiter vnitam, tanquam eius hypostasis. Itaque etsi eadem sit humanitas in Verbo quæ in nobis, & Verbum æque sit perfectus homo ac nos sumus; tamen modus habendi est diuersus. Nos enim habemus humanitatem per identitatem, Verbum per vnionem; nos naturaliter, illud supernaturaliter. Christus tamen, quia significat non nudam personam Verbi, sed suppositum ex persona Verbi & natura humana concretum, potest dici homo per identitatem, saltem partialem, quia naturam humanam includit.

Reliqua miracula sunt extrinseca, & debita tanto mysterio, 25  
 veluti ex illo consecraria. Primò, Quod corpus in instanti perfecte formatum. Secundum, Quod omnipotens virtus Spiritus sancti vicem virtutis seminalis suppleuerit. Tertium, Quod anima illa beatissima in primo instanti creationis & infusionis sui, lumine gloriæ & omnibus celestibus bonis eminentissimè fuerit repleta, adeò vt per temporum spatia nulla ei potuerit fieri accessio. Quartum, Quod à virgine conceptus. Quintum, Quod à virgine

Lib. 3. c. 8.



gine natus absque virginalis claustrum apertione, mirabili corporum penetratione, ex utero, veluti lumen per vitrum, effusus. Sextum, Quod gloria animæ in corpus non redundarit, sicut gloria Diuinitatis in animam, sed corpus manserit passibile. Septimum, Quod gaudium beatificum mestitiam animæ & dolorum acerbitates non excluderit. Ecce decem stupenda miracula in hac mirabili vnione, quorum singula longam merentur considerationem.

## CAPVT VI.

*Vtrum vnio hypostatica ponat aliquid creatum intrinsecum humanitati, nempe modum quemdam ex natura rei ab ipsa distinctum qui antea illi non inerat, ratione cuius dicatur vnita Verbo.*

26 ANTEQUAM vlterijs progrediamur, explicandum nobis parumper more Scholastico, vtrum vnio hypostatica ponat aliquid noui quod sit intrinsecum humanitati, ratione cuius ipsa dicatur vnita Verbo; an verò nihil tale ponat. Est enim hæc res magni momenti ad intelligentiam huius mysterij.

Quidam nihil tale ponendum putant, sed sufficere voluntatem diuinam, quæ cum sit omnipotens, facit quod vult. Vnde hoc ipso quo vult vt humanitas Verbo sit vnita eo modo vt Verbum sit homo, statim humanitas immediatè illi vnitur, absque vlla intrinseca sui mutatione, ita vt Verbum sit verus homo, & homo verus Deus. Fauet huic sententiæ Gregor. Ariminensis in 1. d. 28. quæst. 2. in Resp. ad 17. & 18. Argumentum. & Didacus Alvarez in 3. part. disput. 13. ad 7. art. quæst. 2. vbi ex professo refutat Suarezem & Vasquezium ponentes modum quemdam vnionis creatum, quo formaliter humanitas Verbo vnitur.

*Sententia quorundam.*

Probatür Primò hæc sententia, Quia alioquin humanitas non immediatè & substantialiter vniretur Verbo; nam interueniret aliquid aliud creatum distinctum ab humanitate, nempe modus quidam humanitatis; quod videtur absurdum. debet enim Verbum esse vnitum humanitati omnino immediatè & proximè, alioquin non esset vnio substantialis; ipsaque mysterij dignitas postulat vt nihil creatum intercedat.

*Non requiri vllum modum intrinsecum humanitati ex natura rei distinctum.*

Ff 3      Secundò,



Secundò, Quia modus habet minimam & debilissimam entitatem, estque quid imperfectissimum. ergo non potest habere eam vim ut faciat hominem esse Deum, & Deum hominem. Confirmatur: Si enim nulla qualitas (quæ multò est perfectior omnibus modis) potest nos efficere gratos Deo natura sua sine noua Dei acceptione & peccati condonatione, multò minùs tenuis modus poterit hominem ita vnire Deo, ut ex vi illius vnionis homo sit Deus, & Deus homo: sic enim alicui rei creatæ connaturale esset facere hominem Deum.

Tertiò, Ille modus solùm inhæret humanitati, non Verbo; 27 ergo etiam si possit vnire humanitatem Verbo, non tamen Verbum humanitati. Vel si Verbum sine vnione sibi inhærente potest vniri humanitati, cur non etiam humanitas sine tali vnione poterit vniri Verbo?

Quartò, Si daretur talis modus, esset valdè difformis: nam qua parte inhæreret corpori, esset corporalis; qua parte animæ, esset spiritualis. Deinde, cùm rebus modificatis debeat proportionari, valdè vilescet, neq; respondebit dignitati Verbi.

Quintò, Humana natura non solùm debet vniri Verbo, sed Verbum debet illam terminare substantialiter & sustentare, & illa debet à Verbo dependere: sed vnio solùm vnum effectum formalem tribuit, nempe esse vñitum; non autem esse substantialiter terminatum, esse sustentatum, esse dependens. ergo non sufficit in hoc mysterio. Confirmatur: Quia vnio est extrinseca Verbo: atqui sustentare seu esse sustentans, est denominatio intrinseca Verbo; quia per suam intrinsecam subsistentiam sustentat seu facit subsistens, non minùs quàm subsistentia creata. ergo vnio non potest hunc effectum formalem Verbo tribuere. Confirmatur secundò: Quia vnio non est sustentatio & assumptio; ergo vnio non facit formaliter & secundùm se sustentans & assumens.

Sextò, Subsistentia creata immediatè sustentat naturam nullo modo medio: ergo etiam increata, quæ multo potentior ad sustentandum.

Septimò, Concilia & Patres docent vnionem factam secundùm hypostasim seu secundùm subsistentiam. Idem docet S. Thomas, cùm ait, *vnionem factam in persona Verbi*: ergo non est facta in aliquo modo vel re creata.

Octauò, Damascenus lib. 3. De fide cap. 6. dicit *Verbum esse vñitum*



*unitum carni medio mentis, ita ut mens inter Dei puritatem & carnis crassitiam media intercedat: ergo non est opus alio medio, quo menti vel carni uniat, alioquin erit progressus in infinitum.*

Nonò, His addi possunt alia argumenta, quibus Gregorius & alij probant, non dari ullam relationem vel modum respectuum distinctum ex parte rei ab entitate rei absolutæ.

28 Iuxta hanc sententiam fieri potest, ut iste homo nunc sit Verbum, nunc Pater, nunc Spiritus sanctus successivè, sine vlla mutatione intrinseca humanitati per solam Dei voluntatem extrinsecam. Item, ut iste homo desinat esse Deus sine vlla sui mutatione.

Hæc sententia mihi non probatur, & egregiè refutatur à doctissimis viris Francisco Suarez & Gabriele Valquez in 3. parte; ab illo, disp. 7. ab hoc, disput. 18. Cum enim hoc mysterium sit admodum difficile, per hanc sententiam redactur longè difficilius, & ita incomprehensibile, ut nulla similitudine declarari possit. Nullum enim potest dari exemplum in rebus creatis, ubi fiat aliqua nova unio duorum realiter distinctorum (ita ut ex illis resultet vnum compositum) absque mutatione intrinseca saltem alterius extremi. Hoc enim videtur involvere contradictionem, ut statim ostendatur.

*Refutatur hæc sententia.*

29 Ac primùm hæc sententia ex eo refutari potest, quòd nitatur duobus principiis quæ omnino falsa videntur: quorum alterum est, modos rerum non distingui ex parte rei à naturis vel rebus quas modificant, sed sola ratione & apprehensione nostra. Negant enim etiam minimam distinctionem realem (qualem Suarez inter modum & rem statuit in Metaphys. disp. 7.) ac proinde solùm relinquunt distinctionem rationis. Quam sententiam, quod ad rem ipsam attinet, nullus Doctorum (exceptis fortè paucissimis) admittit, etsi modo loquendi interdum admittere videantur. quis enim dicat, figuram sola ratione distingui à re figurata? & quando corpus ex sphaerico fit cubicum, non mutari realiter, sed sola consideratione nostra? quis motum localem sola ratione distingui à corpore quod movetur, & alterationem à termino? Necessariò itaque fatendum est, modos reales distingui aliquo modo realiter ab ipsis rebus, & aliquid rei ipsis addere, alioquin non essent veri modi, nec realiter afficerent, nec realem inducerent mutationem. Etsi enim non distinguantur distinctione reali completa, sicut res quæ à se mutuò per divinam potentiam possunt separari, & separata conservari: distinguuntur tamen distinctione reali incompleta; quia nec sunt

*Necessariò videri potest modum intrinsecum humanitati.*

*Primò, Refutantur duo principia quibus hæc sententia nititur.*

*Modi distinguuntur à rebus realiter, incompleta.*



funt omnino idem quod res modificata, nec omnino diuersum: nam ita cum ea coherere, vt neque per diuinam potentiam separatim conseruari, neque cogitatione sine re modificata concipi possint. Quo fit vt non dicatur entitas distincta seu noua, sed modus entitatis: nisi hoc nomen *entitas* late sumatur pro quouis reali, vt saepe docet Suarez loco citato. Entitas enim ex vsu Doctorum Scholasticorum designat rem aliquam quae per se concipi & consistere saltem per diuinam potentiam potest.

*Diuina voluntas non sufficit ad physicam duorum vnionem.*

Alterum principium, diuinam voluntatem absque vlla externa operatione vel creaturae mutatione posse facere, vt aliqua incipiant esse vnita, quae antea non erant vnita, & contra, vt desinant esse vnita, quae antea erant vnita. Quod principium non puto apud aliquem Auctorem reperiri, aut aliquo exemplo posse declarari. Nec obstat illud quod affertur de omnipotentia Dei communicata creaturae per solam Dei voluntatem, per quam ipsa creatura reddetur omnipotens absque vlla sui mutatione intrinseca: quia haec communicatio & vnio omnipotentiae cum creatura non est realis & physica, (qualis est vnio Verbi cum humana natura, de qua nos agimus;) sed solum est moralis per extrinsecam assentientiam. vnde ad rem non facit. Fide enim certum est, vnionem naturae humanae cum Verbo non esse solum moralem, qualis est illa vnio omnipotentiae cum homine, sed realem & physicam. Deinde, si voluntas intrinseca Dei sufficit ad physicam & realem vnionem Verbi cum humana natura, nec opus est vlllo nouo influxu externo; poterit totus mundus totaque rerum creaturarum natura assumi hypostaticè à tribus personis diuinis, & rursus deferri ac separari absque vlla sui mutatione, Deo solum sic volente pro hoc tempore, & pro alio nolente. Item, omnis vnio formarum cum materia, & accidentium cum subiecto, & partium inter se in toto, poterit referri in diuinam voluntatem. Si enim diuina voluntas sufficit, vt duae res diuersissimae, quae nullam inter se habent proportionem, vniantur physica vnione absque vlla ipsarum reali mutatione, multo magis sufficiens erit, vt duae res quae naturalem habent proportionem, physice vniantur absque vlla sui mutatione: quae omnia parum videntur consentanea veritati. Vnde cum haec principia, quibus haec sententia nititur, aliena à veritate videantur, nec ipsa vera esse poterit.

*Refutatur exemplis.*

Secundo refutari potest exemplis supra allatis, & in primis animae rationalis & carnis, quorum vnio est maxime similis vnioni hypostaticae, vt docet S. Thomas lib. 4. Contra Gentes cap. 41. & colligitur



colligitur ex Symbolo Athanasij. vt enim ex anima & carne fiat homo, non sufficit animam esse intimè præsentem carni, sicut Angelus potest eidem carni esse præsens; sed alterius requiritur peculiaris vnio & cohesio animæ cum corpore. quæ vnio est modus quidam se habendi ipsius animæ, quem vocamus informationem, qua ita coheret cum carne, vt non possit se ab ea diuellere, quàm diu saluæ manent carnis dispositiones. Idem cernitur in omnibus formis tam substantialibus quàm accidentalibus, in quibus ex natura rei distinguitur entitas formæ ab illo modo actualis inexistentiæ seu vnionis.

Verùm, quia hoc totum aliqui ex iis qui illam scientiam tenent, negant, & affirmant etiam in anima rationali ceterisq; formis substantialibus & accidentalibus non requiri aliquem modum ex parte rei distinctum ab ipsarum entitate, vt insint & vniantur materiæ vel subiecto; sed sufficere ipsarum entitatem & intimam præsentiam qua præsentem sint suo susceptiuo, idcirco hoc magis confirmandum.

32 Confirmatur ergo Primò, Quia si intima præsentia formæ sufficit, nec requiritur vltior vnio: ergo hoc ipso quo anima erit præsens intimè corpori, necessariò corpus erit viuum, & anima illud animabit, imò nec Deus poterit impedire quin sit viuum & existat homo: quia non potest impedire effectum formalem. atqui hoc absurdum est: aliud enim est animam esse præsentem corpori; aliud, informare corpus. potest enim esse intimè præsens corpori non satis disposito (vt si cor planè sit frigidum) & tunc non informabit. Potest etiam subtrahi necessaria dispositio quando informat, (vt si subitò totus calor euanescat) & tunc subitò desinet informare, tamen Deus interim poterit eam conseruare in eadem præsentia. Item Angelus potest esse intimè præsens corpori, non tamen potest instar formæ vniri. Ergo hæc sunt diuersa, & vnio aliqua reale addit ipsi præsentia & entitati formæ. Secundò, Anima potest esse intimè præsens corpori prorsus frigido, & tunc naturaliter non poterit illud animare: diuina tamen virtute poterit illi vniri, & illud animare. Ponamus Deum illam animam isti corpori vnire, ita vt illud viuificetur ab anima: quo posito, vel tunc aliqua mutatio facta est in ipsa anima, vel nulla. Si nulla, quomodo opus fuit supernaturali virtute ad eam vnendam? quomodo potest iam viuificare, cum antea non posset? Si aliqua, ergo vnio dicit aliquid intrinsecum formæ distinctum à præsentia. præsentia enim animæ ad corpus nihil est nisi denominatio extrinseca à corpore existente

*Vnionem formæ cum subiecto esse modum rerum ex parte rei distinctum.*



in eodem spatio; unde ex nuda animæ præsentia non afficitur corpus, nec anima afficitur ex nuda præsentia corporis; sed ulterius requiritur ut anima corpori uniatur substantiali quodam vinculo, ita ut anima passiones corporis sentiat, & corpus ab illa vitam accipiat. Tertio, Si anima existeret ante corpus, deinde uniretur corpori, maxima fieret in ipsa mutatio quoad modum operandi & patiendi ab obiectis & causis externis. ergo ille modus existendi ponit aliquid intrinsecum in anima: nisi enim esset quid intrinsecum, non induceret tantam mutationem. Confirmatur: Quia per unionem istam anima quodammodo corporatur, & corpus animatur: illa deprimitur ad infima, hoc eleuatur ad summa; tantaque est ista connexio, ut anima non possit se diuellere, nisi solutis dispositionibus corporis; nec ipsa sine summo dolore & horrore possit separari. Quæ omnia aperte indicant, istam unionem esse modum quemdam substantialem intimum ipsi animæ. Quod enim alicui conuenit per solam denominationem extrinsecam, non potest inducere tantam mutationem, & statum tam diuersum, cum rem nullo modo in seipsa afficiat: sicut quoddam anima vel Angelus sit præsens huic vel illi corpori, nullam formaliter inducit mutationem in anima vel Angelo. Denique quod unio inter materiam & formam sit modus distinctus, probat fusè & eruditè Hurtado in sua Physica disp. 5.

*Responsio ad  
uersarios  
modum non  
distingui ex  
parte rei.*

Respondent quidam, esse quidem aliquid reale positium in anima, non tamen esse quid distinctum ex parte rei ab ipsa essentia seu entitate animæ, sed solum distingui ratione. Itaque fatentur, in anima & in aliis formis tam accidentalibus quàm substantialibus, ipsam unionem cum materia vel subiecto esse quidem verum modum positium se habendi, non tamen esse quid distinctum ex parte rei ab entitate formæ cuius modus dicitur, sed sola ratione distingui.

*Refutat.*

Verùm hæc responsio seipsam euertit, & asystata continet. Si enim unio ex parte rei formas modificat, & certum modum existendi eis tribuit quem per suam nudam entitatem non habebant, quomodo fieri potest ut sola ratione ab ipsa entitate formæ distinguatur? quod enim sola ratione distinctum est, non potest realiter modificare & contrahere.

*Quod non est  
ullo modo  
realiter di-  
stinctum, non  
potest reali-  
ter modifica-  
re.*

Dices, Differentiæ modificant genus, & personalitates diuinam essentiam, & tamen ibi nulla est distinctio ex parte rei.

Respondeo: Hæc ipsa instantia rem magis declarabit: differen-  
tia



tia enim quia non distinguuntur ex parte rei à genere, non modificant genus in re, sed solum vt hæc omnia obiciuntur nostris conceptibus: sicut enim compositio ex genere & differentiis non fit ex parte rei, ita nec unio, nec modificatio generis per differentias. gradus enim animalis non potest in aliqua natura existente esse indifferens ad rationale & irrationale, vt accedente differentia rationalis, modificetur & contrahatur ad constituendum hominem. Tamen vt existit obiectiue in mente, est indifferens, & ita potest modificari per differentias nostra consideratione. At anima rationalis, prout existit in rerum natura per se, indifferens est ad unionem, & separationem; seu a se esse in corpore, & extra corpus: vnde ex parte rei potest modificari per ipsam unionem. Quod si unio non esset aliquid distinctum ab entitate animæ, non esset modificatio realis, sed solum per conceptionem mentis, sicut natura humana in Petro modificatur per rationem indiuiduam Petri. Similiter in diuinis nulla est modificatio ex parte rei, quia personalitates non distinguuntur ex parte rei à natura diuina. Vnde pari modo, si unio ipsa animæ non esset quid distinctum in re ab ipsa entitate animæ, nulla ibi esset realis modificatio. Nec obstat, quod esse per se in anima separata, non dicat aliquem modum positium animæ superadditum secundum Scotum & quosdam alios: quia secundum illos est modus priuatiuus, non positiuus. Inde tamen non sequitur, quin modus positiuus unionis aliquid reale superaddat entitati animæ. Idem dicendum de inexistencia omnium formarum, tam accidentalium quàm substantialium; hæc enim dicit modum quemdam positium unionis ipsarum formarum non sola ratione, sed ex parte rei distinctum ab ipsis formis, etiam si fortè esse per se in illis non addat, nisi priuationem illius unionis.

Confirmantur hæc omnia: Quia inter distinctionem realem perfectam & distinctionem rationis datur media, nempe realis imperfecta, quam modalem possumus appellare; quo modo distinguuntur omnes formæ ab unione qua ununtur materię vel subiecto, vt supra ostensum est. Sanè ita hæc unio distinguitur ab anima, vt cum unitur corpori ( si antea erat separata ) longè maiorem mutationem subeat, quàm cera dum nouam formam accipit, aut corpus globosum dum formatur in cubum. Ex quibus omnibus manifestum videtur, unionem animæ & aliarum formarum cum corpore vel subiecto esse quemdam modum positium ipsis intrinsecum; & non sola ratione, sed ex parte rei distinctum ab ipsa-

*Differentia non modificat genus realiter.*

*Nec personalitates diuinam essentiam.*

*Esse per se in anima separata, non fit modus positiuus.*

*Datur distinctio media inter realem & rationis.*



rum formarum entitate. quibus positus, procedit argumentum ab exemplo animæ. Sicut enim ut existat homo, non sufficit animæ rationalis præsentia ad corpus, sed insuper requiritur peculiaris modus unionis in anima ex parte rei ab essentia animæ distinctus: simili modo multo que potiore ratione cogitandum est, ut ex Verbo & humanitate fiat Christus, & ut Verbum diuinum sit homo, non satis esse ut sit intimè præfens humanæ naturæ (omni enim naturæ creatæ intimè præfens est;) sed ulterius requiritur in humana natura aliquid creatum, ratione cuius ipsa dicatur substantialiter vnita Verbo potius quàm Patri vel Spiritui sancto: & ratione cuius Verbum dicatur esse verus homo, non Pater vel Spiritus sanctus. quod sanè eò magis hinc interuenire debet, quò minor est proportio inter extrema quæ vniuntur, ut inter quæ sit infinita distantia. nisi enim sit aliquid in humanitate quod habeat peculiarem ordinem ad Verbum tamquam ad suppositum terminans & sustentans, non potest animo concipi, cur Verbum nunc potius sit homo quàm antea: aut cur potius quàm Pater & Spiritus sanctus.

*Quò minor est proportio inter extrema, eò magis requiritur modus unionis distinctus.*

3. Refutatio.

*Non potest fieri transitus in contradictorium absque vlla mutatione.*

Tertio refutari potest hoc Argumento fortissimo: Verbum nunc est verè & substantialiter homo, ante incarnationem non erat homo: ergo facta est aliqua intrinseca mutatio vel in Verbo, vel in humana natura: non enim potest fieri transitus realis de contradictorio in contradictorium, nisi fiat mutatio saltem in altero extremo. atqui illa mutatio non est facta in Verbo, quia prorsus est immutabile; ergo in humana natura. Quæ ratio magis erit perspicua, si ponamus humanitatem illam existisse ante assumptionem, & ita fuisse assumptà à Verbo. Ita enim ratiocinabimur: Hæc humanitas nunc est vnita Verbo hypostaticè, & antea non erat vnita: ergo facta est aliqua intrinseca mutatio non in Verbo, cum sit immutabile: ergo in humanitate; ac proinde in illa est aliquid reale creatum quod antea non erat, ratione cuius dicitur nunc vnita Verbo, cum antea non esset, & potius vnita Verbo quàm Patri vel Spiritui sancto.

*Responsio aduersario- rum p. variis instantiis. Prima, Ex motu locali.*

Ad hoc Argumentum conantur respondere allatis multis exemplis in quibus aliqua incipiunt esse vnita quæ antea non erant, absque vlla mutatione intrinseca. Primò, In motu locali, in quo, multorum sententia, non acquiritur aliquid intrinsecum, sed sola præsentia ad alium locum vel spatium: quæ præsentia nihil videtur esse aliud quàm denominatio extrinseca. Sicut ergo ut corpus incipiat esse in hoc loco in quo antea non erat, ei que coniungatur, non



non opus est vt fiat in ipso aliqua intrinseca mutatio, aut vt accipiat aliquid intrinsecum, quod antea non habebat; ita vt hæc humanitas incipiat esse vnita Verbo, non requiritur vlla mutatio intrinseca, aut aliquid intrinsecum illi quod antea non habebat.

Respondeo, Verum non esse quod assumitur. certum enim est, vt corpus incipiat esse in loco, in quo antea non erat, requiri aliquam realem mutationem intrinsecam per quam ad illum transferatur. Et si enim obscurum sit, quid sit iste motus, certum tamen est, esse aliquid corpori intrinsecum ab illo modaliter distinctum. Vtrum autem terminus intrinsecus qui acquiritur isto motu, & dicitur ipsum *vbi*, sit aliquid distinctum, non est ita perspicuum.

Quidam putant esse solam denominationem extrinsecam à spatio: sicut enim esse præsens huic vel illi corpori, est denominatio extrinseca; (potest enim hæc præsentia, in me incipere & desinere absque vlla in me mutatione, sola mutatione alterius:) ita etiam putant esse præsens ad hoc vel illud spatium, esse denominationem extrinsecam. Sed verius est, hanc denominationem esse intrinsecam à modo positio rei intrinseco. Primò, Quia motus localis, cuius terminus est *esse hic* vel *ibi*, est aliquid rei intrinsecum & positium, ad sui productionem requirens vim motiuam in producente. quis enim dicat, motum Solis, Lunæ, astrorum non esse quidquam reale intrinsecum istis corporibus? si motus est aliquid intrinsecum, cur non etiam *esse hic*, *esse ibi*, quod propriè est terminus intrinsecus istius motus, & per illum producitur?

Dices: Terminus motus localis est, esse coniunctum vel præsens huic vel isti loco: atqui hoc nihil ponit in re nisi denominationem extrinsecam; sicut esse in his aedibus, in hoc cubiculo, est denominatio extrinseca.

Respondeo: Etiam si præsentia in loco reali, vel ad aliquod corpus, sit denominatio extrinseca; non tamen idcirco præsentia ad spatium ipsum est denominatio extrinseca: cuius euidens signum est, quòd illa possit mutari, re manente in eodem spatio, nempe si domus destruat vel auferatur. hæc verò nullo modo possit mutari per mutationem alicuius rei extrinsecæ, sed solum per mutationem ipsius subiecti. ergo præsentia in hoc spatio erat aliquid intrinsecum rei. Si enim esset denominatio extrinseca, tolli posset sine vlla rei mutatione, per mutationem eius à quo denominationem accipit; sicut in omnibus aliis denominationibus extrinsecis cernitur: vt cum aliquid dicitur videri, intelligi, amari, esse dextrum,



sinistrum, antè, retrò. Omitto alias rationes quas vide apud Suarez tom. 2. Metaphys. disp. 5 l. num. 14. & sequentibus, & Petrum Hurtado, qui nouissimè scripsit, in Phisica, disput. 14. & in Metaphys. disput. 2. sect. 5. & 6. Idem docet Vázquez 1. p. disput. 188. n. 28. & Molina 1. p. q. 52. a. 1. disput. vnica, membro 5. denique Conimbricenses, Fonseca, & Toletus, qui omnes hanc sententiam tamquam certam tradere videntur.

*Obiectio quorundam.*

Dices, Incredible videri, rem quoties loco mutatur, subire tot nouas entitates, easq; oriri & occidere. Confirmatur: Quia in quouis motu acquireret infinitos modos, & infinitos amitteret. Deinde, *esse nunc vel tunc, esse in hoc vel illo tempore*, nihil ponit intrinsecum in re; ergo neque *esse in hoc vel illo loco*. Denique, si *esse hic* est modus intrinsecus, eget influxu diuino conseruante. tollat Deus illum influxum, res adhuc manebit hic: alioquin esset nusquam. ergo sine illo modo potest esse hic.

*Respondetur.*

Ad Primum respondeo: Non esse incredibile, rem dum mutatur subire tot nouos situs, quia non sunt propriè entitates diuersæ, sed diuersi modi eiusdem rei quæ continuè situm mutat. Longè magis mirum est, ab obiectis innumeris subito diffundi species ad multa passuum millia, quæ millies quotidie intereunt, & millies renascuntur, vt experientia constat: cum tamen non sint tenues modi, sed veræ qualitates, quas Deus seorsim conseruare posset. Ad Confirmationem: Id quod mouetur, non magis acquirit infinitos modos, quàm transit infinitas partes continui. Vnde sicut non est absurdum, sed necessarium vt transeat infinitas partes proportionales spatij continui; ita etiam non est absurdum, sed necessarium vt acquirat infinitos modos in partium proportionalium se habentes, & simili ratione infinitos amittat. Idem vsu venit in omni mutatione successiua, etiam qualitatum.

Ad Secundum, neganda consequentia: Quia res potest sudire varia tempora & illis coexistere sine vlla sui mutatione, ipsum enim tempus cum concipiatur vt successiuum, accedit & recedit remota permanente. non tamen potest subire varia spatia, aut illis coexistere, sine sui mutatione, quia cum spatium sit immobile, non potest accedere & recedere remota.

Ad Vltimum: Sicut iste modus est quid necessariò resultans ex re, hoc ipso quo res est indistans ab hoc spatio: ita influxus quo conseruatur iste modus, necessariò resultat ex influxu quo conseruatur res in illa indistantia. vnde remanente in illa indistantia, tolli non



non potest influxus ille : sicut etiam influxus ille quo conseruatur figura rei, tolli non potest mera suspensione, re aliter non mutata: quia nihil est aliud quam necessaria resultantia influxus conseruatiui rei sic limitata. Hæc breuiter contra illam denominationem extrinsecam, qua putant aliqui infringi vim rationis supra allatæ.

39 Verum, et si concederemus, totum quod prætenditur, nempe vt aliquid incipiat esse præsens huic spatio, non requiri in illo aliquid noui intrinseci, sed sufficere denominationem extrinsecam à spatio, non tamen id posse iuuare illam sententiam; quia nulla extrinseca denominatio sufficit vt ex duobus fiat vnum substantialiter, seu vt humanitas vniatur Verbo hypostaticè, ita vt Verbum verè sit homo, & homo Verbum, substantialis enim vnio postulat aliquid intrinsecum saltem in altero extremorum quo vnum respiciat alterum, & ordinetur ad illud, vt in exemplo animæ & carnis ostensum est. Si enim vnio accidentalis, qualem ponebant Nestoriani, requirit aliquid intrinsecum in humanitate; multò magis substantialis & hypostatica, quæ intima & firmissima est cohesio & conglutinatio.

40 Neque dici potest, sufficere voluntatem diuinam ad illam cohesionem: quia voluntas diuina non potest producere vel supplere effectus formales rerum sine ipsis formis, vel sine reali modo existentia illarum; id enim implicat contradictionem: verbi gratia, non potest facere vt homo sit sine anima rationali, vel sine existentia animæ in carne, & in formatione carnis, quæ in existentia seu informatio est quid distinctum ab anima, tamquam modus quidam se habendi ipsius animæ: vnde & potest abesse, vt patet cum anima separatur à corpore: tunc enim iste modus extinguitur & perit, sicut figura in multis corporibus perit, salua manente corporis substantia; quia solùm est modus quidam ipsius corporis. Pari modo fieri nequit, vt Verbum sit verus homo sine reali & peculiari modo inexistendi, quo natura humana illi peculiariter inexistat & cohereat. Si esse hominem esset quid morale, sicut esse Regem, esse Pontificem; vel si humana aut diuina natura posset haberi per moralem æstimationem & quamdam imputationem sicut haberi potest iustitia, sanctitas, filiatio Dei, & similia: sic sufficeret voluntas diuina, vt Deus possit dici homo, & homo Deus; etiamsi nulla facta esset mutatio intrinseca, nec vllus esset nouus modus aut respectus realis in humanitate ad Verbum: diceretur enim Deus homo affectu & se-

*Voluntas diuina non potest supplere effectus formales rerum*

*Voluntas diuina solùm habet effectum moralem.*

cun-



cundum æstimationem moralem, nimirum quia ita hominem amat & æstimat, ut si fieri posset, cuperet esse homo; & hic homo diceretur Deus, quia ex tali amore & æstimatione accipit dignitatem quamdam diuinam, qua honoretur quasi Deus quidam ac Filius Dei, vel quia gerit vices Dei in seipso inhabitantis & per ipsum operantis. Verum non sic Deus factus est homo, aut homo Deus, sed propriè & physicè: ac proinde non sufficiebat voluntas diuina, sed necessarius erat nouus modus physicus & realis in humanitate, qui peculiarem haberet ordinem ad Verbum, & quo formaliter ipsi Verbo vniretur.

*Secunda instantia, Ex lumine.*

Secundò adfertur instantia, In lumine & candela: fieri enim potest ut lumen quod antea non pendeat ab hac candela, sed ab alia, vel à solo Deo, incipiat pendere ab hac candela, absque vlla vel luminis istius vel candelæ mutatione, sola Dei voluntate ita volente. Idem dici potest de lumine solis.

*Dependentia ex causa efficiente, est modus rei: vnde noua dependentia est nouus modus.*

Respondeo, & hoc exemplum verum non esse: quia quando hoc lumen incipiet pendere à candela, à qua antea non pendeat, accipiet realem mutationem subeundo nouum modum dependentiæ ab hac causa, ut fusè & eruditè docet Suarez in Metaphysica disput. 7. num. 17. & disput. 21. & Petrus Hurtado in Metaphys. disp. 2. sect. 6. Vnde verum non est, solam Dei voluntatem extrinsecam sufficere ut incipiat ab hac candela pendere.

*Tertia, Ex intellectione.*

Tertia instantia, In intellectione posita, à solo Deo in intellectu passiuè tantum se habente; per hanc enim intellectionem intellectus non intelliget. Si tamen Deus velit, intellectus incipiet intelligere absque vlla sui vel intellectionis mutatione, sola Dei voluntate illa sic vniente.

Respondeo, etiam hoc exemplum verum non esse: quia intellectus non potest incipere intelligere per illam intellectionem nisi in illam vitaliter influat; & illa ab intellectu vitaliter dependere incipiat. vnde necesse est illam mutari, & consequenter etiam intellectum, quem illa afficit. longè enim aliter afficit intellectum, dum irretit ei per modum vitæ, eumque reddit sapientem, beatum, &c. quam dum inerat per modum rei mortuæ, & nihil tale ei tribuebat.

*Quarta, Ex Dei volitione.*

Quarta instantia, In Deo. Si enim ab æterno voluisset creare tres mundos, haberet quamdam volitionem quam modò non habet, idque absque omni sui mutatione.

Respondeo, hoc exemplum ad rem non facere. Primò, quia volitio



volitio libera in Deo non distinguitur nisi ratione ab eius natura, ac proinde non potest inducere mutationem realem & physicam, neque efficere ut Deus nunc dicatur aliter se habere quàm tunc haberet. Secundò, Quia mutatio locum non habet nisi ubi datur prius & posterius, ita ut dici posset, res nunc aliter se habet quàm prius habuit. atqui in æternitate hoc dici non potest: nullum enim datur instans temporis, in quo dici possit, Deum hanc volitionem quam modò habet non habuisse.

Quinta instantia, In Verbo diuino, quod ex non-sustentante fit sustentans humanam naturam absque vlla sui mutatione.

*Quinta. Ex Verbo diuino sustentans.*

Respondeo, Non est necesse ipsum Verbum mutari, sed sufficit ut fit mutatio in altero extremo, nempe in humana natura. Simili modo cum Deus ex non-creante fit creans, ex non-iustificante iustificans, non est mutatio in Deo, sed in creatura.

Ex his patet, tertiam rationem esse omnino solidam, qua etiam Occam, qui interdum videtur tollere modos, conuictus fuit in 1. dist. 3. q. 4. Eadem tamquam sufficiente vitur Vasquez in 3. par. tom. 1. disp. 18. & Suarez ibidem disp. 8.

42 Quartò refutatur hoc modo: Per vñionem hypostaticam Diuinitas non est imminuta, vel depressa, vel vllò modo mutata; sed humanitas est exaltata & eleuata, ut passim tradunt sancti Patres. Leo Serm. 1. 3. & 4. De Natiuitate; Damascenus lib. 2. De fide c. 17. & alij. Atqui hæc exaltatio fieri non potuit, nisi aliquid reale ponatur in ipsa humanitate, quod antè illi non inerat. Ergo, &c.

*Ex eleuatio-  
ne natura  
humane,  
qua sine ali-  
quo intrinse-  
co fieri ne-  
quit.*

Minor probatur: Quia nisi aliquid ponatur reale intrinsecum humanitati, per quod ipsa dicatur eleuari, non erit physica & realis exaltatio, sed solum moralis, vel per denominationem extrinsecam: sicut cum per collationem dignitatis Regia, vel per connubium cum Rege, dicitur aliquis exaltari; etiamsi nulla in eo mutatio facta sit, nec quidquam reale ipsi accesserit. Talis autem exaltatio non sufficit in hoc mysterio. Primò, Quia sic humanitas non aliter esset eleuata, quàm Diuinitas depressa vel exinanita; nec maior esset mutatio facta per hoc mysterium in humanitate quam in Diuinitate; quod sanctis Patribus & communi Fidelium sensui non est consentaneum. Sicut enim Diuinitati nihil accessit intrinsecum, sed solum dicitur exinanita per denominationem extrinsecam, vel moralem æstimationem: ita etiam humanitati nihil accessisset intrinsecum, & per solam extrinsecam denominationem diceretur exaltata, & vnita Verbo.

*Non potest  
natura ele-  
uari per ali-  
quid omnino  
ipsi intrinse-  
cum.*



Inter natu-  
ram huma-  
nam & di-  
uinam est in-  
finita distan-  
tia.

Hæc eleuatio  
dupliciter  
concipi potest.

\*Damas. l. 2  
cap. 7. citans  
Gregor. Na-  
zianz.  
Non potest  
deificari,  
vngi, sancti-  
ficari, si nihil  
accipiat in-  
trinsecum.  
b Psal. 44.  
Ista 61.  
Danielis 9.  
Act. 4. & 10.  
ad Hebr. 1.  
Ioan. 10.  
Rom. 1.

Secundò, Quia cum inter humanitatem & Diuinitatem sit in-  
finita distantia, non loci, sed gradus naturæ; necessariò debuit hu-  
manitas eleuari per aliquod donum intrinsecum, ita vt quasi pro-  
ximè attingeret Verbum, ei que immediatè posset vniri. Sicut enim  
quod loco distat, non potest vniri rei superiori, ( vt si lapis vnien-  
dus esset soli) nisi re ipsa per motum sibi intrinsecum eleuetur vt  
attingat: ita quod distat naturæ gradu, nec habet sufficientem pro-  
portionem vt alteri vnatur, debet eleuari per intrinsecas disposi-  
tiones quibus alterum attingat, vt patet in materia, quæ vt animæ  
vnatur, debet variis dispositionibus eleuari. Multò magis id ha-  
bèbit locum in præsentis mysterio, cum inter extrema vnenda sit  
distantia infinita. Vnde opus erit singularissimo quodam dono,  
quo natura humana infinite supra omnes creatas naturas eleuetur,  
& Verbo vnatur. Potest autem hæc eleuatio dupliciter concipi. 43  
Primò, Vt natura humana per aliquod donum intrinsecum eleuetur ad  
proportionem cum Verbo, quæ sit distincta ab ipsa formali vnione,  
& prior naturâ; sicut corpus iam perfectè formatum prius naturâ est  
proportionatum animæ quàm illi vnatur: posita enim hac proportione  
& intima animæ præsentia, vnio naturaliter resultat. Secundò, Vt  
natura immediatè eleuetur ad ipsam vnionem, per actionem Dei  
supernaturalem productiuam illius modi in quo consistit ipsa  
formalis vnio; ita vt non sit opus alio præiudicio quo fiat  
proportionata Verbo. Hoc secundo modo puto hanc eleuationem  
factam, nec opus fuisse aliqua proportione præiudicia, qua posita  
illa vnio quasi naturaliter resultet, vel sit debita: imò talem  
proportionem non puto possibilem. Quòd si nulla proportio  
præiudicia possibilis est, vel ex hoc capite maximè opus fuit  
aliquo modo intrinsecò quo natura formaliter eleuaretur, vt fieret  
simul proportionata Verbo & vnita. quòd enimi maior est  
distantia inter extrema, & minor proportio, eò maiori opus est  
potentia & influxu vt fiat vnio: qui influxus necessariò debet esse  
intrinsecus, saltem alteri extremorum.

Denique, natura humana ita eleuatur vt *deificetur*, vt Patres  
docent, atqui *deificari* non dicit solùm denominationem extrinsecam,  
sed aliquid intrinsecum, sicut animari, viuificari, informari. Simili  
modo natura humana, & ille homo (quatenus per hoc denotatur  
indiuiduum humanum præscindens ab hac & illa personalitate)  
dicitur vnctus Diuinitate, vel Spiritu sancto, & sanctificatus à  
Patre in Scripturis, quæ sine aliqua vnione intrinseca non bene  
sunt concipi.

Quintò,



44 Quintò refutari potest illa sententia: Si diuina voluntas sufficit ad substantialem vnionem nature humanæ cum Verbo; ergo non opus est vlla operatione sanctissimæ Trinitatis ad extrà: quod est contra communem doctrinam sanctorum Patrum, qui docent vnionem hypostaticam, quia est quid extrinsecum Deo, à tota Trinitate perfectam. Vel si opus est aliqua operatione externa, non magis sufficit ad hanc vnionem diuina voluntas, quàm ad alia opera externa, vt ad creandum mundum, iustificandos homines, &c. vbi voluntas nostro modo concipiendi applicat omnipotentiam ad operandum exterius. Si ita est, cur voluntas diuina dicitur potius sufficere ad hanc vnionem, quàm ad creationem? Vnde si dicant requiri operationem externam omnipotentia, non constanter loquuntur, & frustra totum referunt in voluntatem diuinam. Confirmatur: Quia idèd referunt hanc vnionem in voluntatem diuinam, ne cogantur admittere aliquam Dei operationem externam distinctam à creatione humanitatis Christi qua fiat ista vnio: ergo non requirunt illam eo modo quo requiritur ad creationem, nempe tamquam causam applicantem omnipotentiam ad operandum exterius; sed tamquam causam quasi formalem istius vnionis, & tamquam formale vinculum nature humanæ cum Verbo. Hinc dicunt, voluntatem diuinam, cum sit intimè præsens vtriq; extremo, multò melius, immediatius & fortius posse illa vnire, & humanitatem ad Verbum determinare, quàm possit vllus modus creatus. Quo posito, manifestè sequitur, hanc vnionem non esse realem & physicam, (hæc enim fieri debet operatione externa physica & reali, cum terminus externus realis debeat fieri operatione externa reali;) sed moralem tantum: hæc enim sola potest fieri per nudam volitionem, quia volitio Dei est quasi ratio formalis illius vnionis; vel est ratio effectiua moraliter, si eam morali modo consideremus. Sicut si Deus velit me esse Regem, eo ipso ero Rex: si rursus velit vt non sim Rex, non ero; absque vlla mei mutatione reali. Si velit Petrum esse meum seruum, statim erit meus seruus: si rursus velit non esse, non erit, &c. In quibus omnibus voluntas diuina est quasi vinculum duorum (ita vt non sit opus alio reali vinculo) ex quo resultat quædam relatio vnionis moralis in vtroq; extremo. Verùm nulla ratione dici potest, vnionem hypostaticam eo modo factam: quia sic non esset vnio realis & physica, sed moralis, nempe per affectum & amorem Dei: nec Verbum esset verè & propriè homo, sed solùm vnione affectus, qui fuit error Nestorij.

*Quinta refutatio, Non esset opus omnipotentia.*

*Sola moralis vnio potest fieri per voluntatem.*



Si dicant, voluntatem per se non sufficere ad hanc vnionem, sed 45  
ulterius requiri operationem ad extrà, qua fiat hæc vnio: iam non  
consequenter loquuntur, vt ostensum est. Deinde, frustra ponetur  
talis operatio ad extrà, cum nullus possit eius assignari terminus in-  
trinfecus per eam productus: non enim per illam producitur Ver-  
bum; neque etiam ipsa natura humana, vt iam suppono; hæc enim  
poterat esse ante vnionem. neque etiam terminus illius productio-  
nis est modus aliquis intrinfecus ipsius humanitatis; quia talis non  
datur in hac sententia. Quid ergo per illam producitur? seu quis  
est terminus intrinfecus illius productionis?

Respondetur, terminum productionis illius esse hoc compo-  
situm ex Verbo & humanitate. Sed contrà, istud compositum non  
potest secundum se totum esse terminus immediatus illius produ-  
ctionis: quia non secundum extrema quæ vnionem, cum hæc iam  
supponantur existentia; sed solum secundum vnionem præuiam,  
ex qua posterius ratione resultat hoc compositum. Sed hæc vnio  
non ponit aliquid reale creatum in extremis vnitis, vt vult hæc  
sententia; ergo ad eam non opus est vlla reali productione ad ex-  
trà, sed sufficiet moralis quædam mutatio, facta solâ voluntate di-  
uina (sicut vt homo dicatur omnipotens, Deo volente suam om-  
nipotentiam illi applicare, & ponere in eius potestate; non opus est  
vlla reali productione vel mutatione) quod nullo modo est dicen-  
dum, vt iam ostensum est.

Ex quibus omnibus concludo, necessarium esse ponere aliquid  
creatum in humanitate Christi, ad cuius productionem requira-  
tur omnipotentia; quo posito resultet vnum compositum ex Ver-  
bo & humanitate, nempe vnus Christus, Verbum, homo, & vt  
Græci loquuntur, Θεοῦ ὁμοῦσιον, Ὁμοῦσιον.

Sequitur nunc vt respondeamus ad Argumenta sententiarum ad- 46  
uersaræ, posita num. 26. & 27.

Ad primum  
Argumentum.

Ad Primum respondeo, negando sequi hanc vnionem non fore  
immediatam: non enim ille modus creatus ita intercedit, vt ipse  
immediatè vnitur Verbo, & illo mediante humanitas, sicut quan-  
do duo connectuntur glutino. Falsa est hæc imaginatio, qua ad-  
uersa sententia multum niti videtur: ille enim modus non vnitur  
Verbo vt res quæ vnitur, sed vt ratio formalis qua ipsa humanitas  
vnitur Verbo. Itaque iste modus vnitur vt id quo, non vt id quod;  
& sic non intercedit nec impedit immediatam vnionem Verbi &  
humanitatis, cum sit ipsa immediata vnio amborum.

Ex



Ex quibus patet, humanam naturam prorsus immediatè vniri Verbo, ita vt inter essentiam humanitatis & personam Verbi non intercedat aliquid vt id quod, seu vt res vnita, sed solum vt id quo, seu vt ratio immediatè vnionis cum Verbo. Hinc non opus est alio modo, quo iste modus vnatur Verbo: quia sicut per ipsum formaliter vnitur humanitas Verbo, ita etiam ipsemet eidem Verbo vnitur per seipsum. Simile cernitur in actuali inexistencia seu vnione omnium formarum tam accidentalium quàm substantialium. quæ vnio est modus quidam afficiens immediatè illas formas. hic enim modus non inest subiecto formæ, neque ei vnitur vt id quod, sed id quo: quia non habet se vt res vnita, sed vt ratio vnionis, seu vt formalis vnio.

47 Ad Secundum respondeo, modum quidem esse per se quid imperfectissimum in ratione entis, cum nulla ratione possit per se conseruari, sed totum esse ipsius sit actû aliud modificare: est tamen quid perfectissimum in ratione vnionis & connexionis qua duo diuersa inter se connectantur: non enim est possibilis perfectior vnio animæ & carnis ad constituendum vnum hominem, quàm sit modus ille quo anima reipsa informat corpus. neque per aliquid aliud perfectius anima vniri potest carni, quàm per illum modum. Idem dico de reliquis formis, earumque connexionione naturali cum materia vel subiecto. Pari ratione modus ille vnionis hypostaticæ est quidem per se quid imperfectum in ratione entis, quatenus non potest per se existere: est tamen perfectissimus & sublimissimus in ratione vnionis, quia per se formaliter humanam naturam ita eleuat & vnit Verbo, vt ex illis duobus constituatur vna persona. Itaque hic modus, etsi per se sit paræ entitatis, maximi tamen est momenti, quia facit vt homo sit Deus, & Deus sit homo. Absque hac imperfecta entitate, quam vocamus modum vnionis, nemo potest esse sanctus, nemo beatus, nemo videre Deum. Nihil enim iuuant formæ vel qualitates quantumuis sint excellentes, nisi inexistant & vniantur. Nullum potest esse compositum substantiale, vel accidentale, immò nullum corpus sine hoc modo. Etsi enim modus ille per se sit imperfectus, tamen res quam modificat vel connectit, est magnæ perfectionis. Itaque est conditio sine qua nulla res potest accipere vel habere aliquam perfectionem à sua entitate distinctam.

48 Nec obstat quòd quidam Doctores dicant, vnionem hypostaticam consistere in quadam relatione humanitatis ad Verbum di-

H h 3

unum:

*Modus vnionis est quid imperfectissimum per se formaliter in ratione entis, non in ratione vnionis.*

*Vnio formarum est maximi momenti in rebus.*

*Quo sensu quidam dicant hanc vnionem esse relationem.*



uinum : quia omnis inexistencia in alio, & omnis vnio, est relatio quædam essentialiter respiciens aliud. tamquam suum terminum; siue illud sit subiectum, sicut modus inexistencie in accidentibus & formis substantialibus respicit subiectum, quod ab accidente vel forma substantiali informatur: siue sit suppositum, vt in mysterio Incarnationis. hæc tamen relatio non est quiddam resultans ex termino & fundamento, sed est modus relatiuus essentialiter ordinans ad aliud. Esse enim in alio, dicit ordinem ad illud: esse verò per se, nullum dicit ordinem. vnde Scotus vocat eam relationem extrinsecus aduenientem; alij relationem transcendentalem.

Ad Confirmationem, neganda consequentia: idè enim nulla qualitas per se & præcisè vi suæ entitatis potest delere peccatum, quia malitia peccati est quid morale, quod non tollitur per se nisi modo morali, nempe condonatione libera Dei: nulla autem qualitas creata, cum se ipsam tantum coniungat subiecto, & ipsa sit bonum finitum, necessitare potest Deum vi sua ad peccatum condonandum. Modus verò vnionis hypostaticæ non tantum se ipsum vnit humanitati, sed etiam ipsam humanitatem vnit Verbo diuino, & econuersò vnit ipsum Verbum humanitati: & consequenter facit vi sua vt homo sit Deus, & Deus homo, ac proinde necessariò excludit peccatum. Vnde patet, isti modo hoc esse connaturale, & non habere id ex aliquo fauore vel acceptatione Dei. alioquin iste homo non esset verè & physicè Deus, sed solum morali æstimatione & solo Dei fauore, vt supra ostensum. Quare si hoc argumentum aliquid efficeret, probaret Deum non posse esse hominem per aliquam vnionem creatam, sed per solam denominationem extrinsecam fauoris diuini. Sicut quia nulla est qualitas creata, quæ præcisè vi sua deleat peccatum, & faciat filios regni; rectè dicimus, hos duos effectus fieri potissimum fauore diuino: neque vllam qualitatem id posse facere, nisi quatenus diuinus fauor ei est connexus. Vnde remissio peccati & adoptio, magis est quid morale quàm physicum. vbi cumque enim ob defectum causæ formalis creatæ interuenit voluntas diuina vt illum defectum suppleat, ibi non solum est aliquis effectus physicus, sed etiam moralis.

Ad Tertium: Etiam si iste modus realiter & intrinsecè solum afficiat humanitatem, non Verbum, tamen non solum humanitatem vnit Verbo, sed etiam Verbum humanitati. Sicut enim cum ma-  
gnes



gnes ad se trahit ferrum, non solum ferrum iungitur & vnitur quodam modo magneti, sed etiam magnes ferro. ita cum Verbum diuinum sua omnipotentia trahit ad se naturam humanam, loco quidem presentem, sed naturæ gradu infinite distantem, ita illam eleuat & ad se trahit, vt & ipsa Verbo, & Verbum illi immediatè & arctissimè vniatur. Vnde non est necesse vt fiat mutatio in vtroque extremo, aut vt modus vnionis sit in vtroque. Idem docet Vasquez in 3. part. disputat. 19. & multi alij, de vnione animæ cum corpore, & omnis formæ cum materia vel subiecto; nempe modum vnionis non requiri nisi in altero extremo, nempe in forma. Cum enim de ratione istius modi sit, vt formam vniatur cum subiecto; posito illo modo, necessariò forma manet vnita, etiam si in subiecto præter necessarias dispositiones nullus nouus modus concipiatur. Quæ sententia vtrum in formis naturalibus vera sit, cum mutua videatur debere esse amicitia & complexio inter formam & materiam, &c. non est huius loci disputare. videri potest noster Hurtado in Physica, disp. 5. sect. 7. Hinc patet, non sequi: Verbum sine modo sibi intrinseco potest vniri humanitati, ergo etiam humanitas Verbo; quia necesse est illum modum esse in altero saltem extremo. Vnde cum Verbum illius non sit capax, necesse est vt sit in humanitate.

51 Ad Quartum: Etiam hic modus, qua parte afficit corpus, aliquo modo identificetur corpori tamquam eius modus, & si aliquo modo possit dici corporalis, nempe materialiter; tamen per se & formaliter est summè spiritalis & summè proportionatus summo Spiritui Verbo diuino. Vnde ita subtilis & sublimis est, vt à nullo intellectu creato vi naturali videre possit. Neque id incredibile videri debet: quia præsentia & inexistencia seu vnio animæ in corpore, etiam si sit modus rei indiuisibilis, & omnino spiritalis, tamen formaliter, vt multi volunt, est diuisibilis, quasi sit corporalis: vnio enim animæ cum brachio vel capite, non est vnio cum corde. Si Deus corpori Christi in Eucharistiæ mysterio potest dare modum spirituum, quo etiam ipsum corpus fiat indiuisibile instar spiritus: cur eidem corpori in Incarnatione non poterit dare modum spiritalem, etsi materialiter diuisibilem, quo vniatur Verbo? Denique vilitas carnis & improportio non obstat quin possit immediatè vniri Verbo; cur vilitas modi illius obstabit, quò minus possit esse formalis vnio inter carnem & Verbum? perfectius enim est, vniri aliqua vnione intrinseca, quàm sola denomina-

*Quomodo  
hic modus in  
corpore sit  
spiritalis.*

tione



tione extrinseca, sicut quod est continuum, perfectius vnitur quam quod est contiguum.

*Illa vnio sufficit vt natura dicitur assumpta, terminata, sustentata à Verbo.*

Ad Quintum: Negandum est, vnionem istam non tribuere naturam naturæ istos omnes effectus: hoc ipso enim quo tribuit ei esse vnitum Verbo, tribuit consequenter esse terminatum, esse sustentatum, esse dependens à Verbo tamquam sua hypostasi. Non enim hæc vnio est qualiscumque, sed est vnio naturæ ad hypostasim. hoc ipso autem quo natura vnita est Verbo tamquam hypostasi, eo ipso Verbum sustentat illam naturam, & terminat eius existentiam, & ipsa naturæ existentia dependet à Verbo: idque adeo necessariò ex vi illius vnionis sequitur, vt per nullam potentiam possit impediri.

*Verbum dicitur sustentans naturam humanam denominatione extrinseca.*

Ad Confirmationem, negandum subsumptum: non enim denominatione intrinseca dicitur Verbum sustentare naturam humanam, sed extrinseca; cum in tempore ex sola creaturæ mutatione id ei adueniat, & nihil intrinsecum Deo in tempore aduenire possit. Sed inquit: Verbum per suam intrinsecam subsistentiam sustentat, & facit subsistens non minus quam subsistentia creata; ergo est aliquid intrinsecum Verbo, ac proinde vnio non potest hunc effectum formalem tribuere. Respondeo: Etiam Deus per suam potentiam intrinsecam creat, & tamen creatio nihil dicit intrinsecum. Quod autem infertur de vnione; dico, solam vnionem naturæ ad Verbum tamquam ad suppositum sufficere vt Verbum dicatur sustentare naturam humanam: vnde etiam si vnio non se habeat in hac denominatione vt ratio formalis; habet se tamen vt conditio intrinseca requisita: sicut vt subiectum dicatur sustentare accidens, requiritur intrinsecè vnio seu inexistencia accidentis in subiecto, eaque sola sufficit. Ad secundam Confirmationem, concedo vnionem formaliter non esse sustentationem; est tamen necessaria conditio, & sufficit vt Verbum dicatur sustentare & terminare. Ipsa enim sustentatio se habet per modum actus secundi, & influxus personæ in naturam non tamquam causæ efficientis; sed nouo & ineffabili modo, instar subiecti cuiusdam absque imperfectione, vel potius instar suppositi: designat enim ipsam causalitatem Verbi, quam habet respectu naturæ, quæ non conuenit illi vllò modo nisi supposita vnione. Alio modo se habet assumptio: nam vnio si consideretur vt est in fieri, & procedit à Verbo tamquam causa efficiente, & ad ipsum terminatur, sic habet rationem assumptionis: assumere enim, est ad se sumere, & sibi vnire. Vnde tria includit, nempe, vnionem vt est in fieri, seu productionem illius modi, ordinem



nem ad Verbum tamquam ad causam efficientem, & ordinem ad idem Verbum tamquam ad terminum. Eadem vnio prout procedit à tota sanctissima Trinitate, non habet rationem assumptionis, sed vnitionis tantum & incarnationis actiue. hinc constat, quomodo solus iste modus vnionis ad omnes illos effectus sufficiat.

53 Ad Sextum respondeo Primò, Antecedens ex parte non esse verum: nam subsistentia creata non sustentat propriè naturam, sed potius ab ea sustentatur tamquam modus eius natura posterior. Verùm propriè eius existentiam terminat, eamque reddit incommunicabilem, sicut superficies terminat corpora, & facit ne aliis continuari possint, quamdiu ipsa manet actu. Deinde neganda consequentia: ideo enim subsistentia creata vnitur naturæ se ipsa formaliter nullo alio modo interueniente, quia ipsa per se non est res perfectè distincta à natura, nec solida entitas, sed solum modus quidam se habendi ipsius naturæ; subsistentia autem diuina est res omnino distincta à natura: duæ autem res distinctæ vniri non possunt, nisi interueniat modus vnionis saltem in altera, quo formaliter cohareant, & mutuo adhærescant, vt multis probat Suarez in Metaphys. disp. 7. & Hurtado in Physicâ disp. 5. Sola enim præsentia vel indistantia non sufficit ad veram vnionem & compolitio- nem. Vnde etiam si Verbum habeat vim infinitam ad sustentan- dum, tamen sustentare per modum suppositi non potest, nisi natura per modum sibi intrinsecum ei vnatur.

*Subsistentia  
creata non  
sustentat na-  
turam, sed  
terminat, &  
reddit incommu-  
nicabilem.*

54 Ad Septimum, Neganda consequentia: prinde enim est ac si sic argumentareris: Ramus pomi vnitus est pyro in radice, vel secundum radicem; ergo non opus fuit vlla vnione præter radicem. Albedo & dulcedo vniantur in subiecto; ergo præter subiectum non opus est aliqua vnione qua vniantur subiecto. Non enim vnio diuinæ naturæ & humanæ in hypostasi Verbi vilo modo excludit vnionem creatam naturæ humanæ cum Verbo, sed intrinsecè includit vel supponit. Nam cum dicitur vnio facta in hypostasi Verbi, hypostasis non habet se per modum vnionis vel connexionis, vt argumentum præterdit; sed habet se per modum tertie entita- tis in qua duæ illæ naturæ vniantur: sicut pyrus & prunus in vna radice, & duæ formæ in vno subiecto. Vnde hypostasis Verbi non est vnio duorum, sed vnitas, quia duo in ipsa ita concurrunt, vt ipsa eadem manens sit Deus simul & homo. Longè alia ratione humanitas dicitur vnita Verbo per modum creatum, vel secun- dum modum creatum: quia ille modus non se habet vt quid ter-  
tium

*Vnio natura  
diuinæ &  
humana se-  
cundum hy-  
postasim in-  
cludit vnio-  
nem creatam  
humanitatis  
cum Verbo.*



tium in quod duo diuersa concurrunt vt ei identificentur, sicut se habet hypostasis Verbi ad naturam humanam & diuinam; sed vt formalis connexio hypostasis Verbi cum natura humana: vnde committitur aperta æquiuocatio in verbo *vniri in aliquo*.

Ad Octauum: Non video quo modo hoc testimonium Damasceni possit hic accommodari, nisi verborum ipse; quo modo potius probabitur carnem non vniri Verbo secundum se & proximè, sed solum ratione animæ rationalis seu mentis; quam animam non vniri Verbo, mediante modo creato. Itaque Verbum dicitur vniri carni mediante mente, non quasi non sit opus modo aliquo creato, quo vel mens vel caro immediatè vniatur Verbo, vt argumentum intendit: sed quia caro non habebat per se congruentiam vt assumeretur à Verbo, sed solum hanc habebat ratione animæ mente prædita. Vide S. Thomam 3. p. q. 6. a. 1.

*Alia est ratio modorum, alia relationum Prædicamentaliū.*

Ad alia Argumenta quæ ex Gregorio adferri possent, respondeo breuiter, Gregorium valdè confusè procedere, quasi eadem sit ratio modorum & relationum Prædicamentaliū, quæ posito fundamento & termino resultare cogitatur. Etsi enim tales relationes non sint aliquid distinctum in re à termino & fundamento vel ratione fundandi, vt similitudo, paternitas, fraternitas, &c. idque Argumenta Gregorij bene probent: nulla tamen ratione probant de veris modis rerum, qui inducunt veram mutationem, & sunt per se veram & realem productionem, sicut sunt omnes vniones formarum cum materiâ vel subiecto, omnes vniones partium inter se, omnes dependentiæ effectuum à suis causis efficientibus vel conseruantibus, omnes figuræ rerum, omnes motus locales, & similia, de quibus optimè noster Suarez in sua Metaphysica disp. 7. & 21. & Hurtado in Physica, disput. 5. & in Metaphys. disput. 2.

Ex his perspicuum videtur, in humana natura Christi constituendum quemdam modum supernaturalem creatum, distinctum aliquo modo ex parte rei à natura: quo posito, illa natura necessario manet hypostaticè vnita Verbo, ita vt Verbum verè sit homo, & homo Verbum, ac Filius Dei: & quo sublato, necessario tollitur illa vnio, & Verbum desinet esse homo. Ac proinde non esse veram sententiam, quæ statuit, ad vnionem hypostaticam non requiri aliquid creatum distinctum modaliter ab humanitate, quo ipsa Verbo vniatur, sed sufficere voluntatem diuinam: & per hanc fieri posse vt Verbum incipiat esse homo, & postea desinat esse homo, absque vlla intrinseca mutatione facta in humanitate.



## CAPVT VII.

## De magnitudine beneficij Incarnationis.

57 **D**IXIMVS de modo vnionis: sequitur vt beneficij huius magnitudinem perpendamus. Beneficij magnitudo ex tribus æstimari potest. Primò, Ex magnitudine ipsius rei quæ datur. Secundò, Ex modo quo datur, vt cum magno labore vel incommodo. Tertiò, Ex effectu qui inde prouenit. Ex hoc triplici capite beneficium istud est immensum. Nam Primò, res ipsa quæ datur immensa est, nempe Filius Dei. Multum fuisset, si vel vnum ex supremis Angelis misisset, qui visibiliter nobiscum versaretur, nosque doceret, dirigeret, & ad salutem reuocaret, sicut cum Rex terrenus vnũ ex suis Principibus ad solandos & liberandos captiuos mittit. Omni enim huiusmodi beneficio eramus indigni; sed quòd Filium miserit, eumque totum in nostrum bonum nobis donauerit, id omnem superat æstimationem. Secundò, Spectandus modus quo nobis datus est; quanto, vt ita dicam, incommodo, & humiliatione, & exinanitione ipsius Diuinitatis. *Cum enim in forma Dei esset, inquit Apostolus, semetipsum exinanauit, formã serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Si Monarcha terrenus ad liberandum mancipium à morte, suam dignitatem ad statum seruilem demitteret, & seruis serui causa fieret, quanti æstimaretur hoc beneficium, hæc misericordia & charitas? Longè sanè & incomparabiliter plaris ex illo modo, quàm ex commodo & vita serui. Pari ratione, quòd infinita illa maiestas nostræ salutis causa se tantopere demiserit, & nostram mortalitatem assumpserit, longè plaris est æstimandum, quàm tota salus nobis collata. Minima enim Diuinitatis humiliatio infinitè plaris est, quàm vniuersum bonum creaturæ; quia hoc totum instar est nihili ad illam celsitudinis infinitatem. *Quoniam tamquam momentum statera, sic est ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani quæ descendit in terram.* vnde nullum bonum creatum aut creabile tanti est, vt aliquam illius celsitudinis mereatur demissionem. Quòd igitur illa sublimitas nostram humilitatem subierit, non meritum nostrũ fecit, non salutis nostræ dignitas promeruit, non iusta bonorum nostrorum æstimatio postulauit; sed misericordia & charitatis diuinæ abyssus præstitit: cui complacuit tantis

Magnitudo  
beneficij In-  
carnationis.

Phil. 2.

Sap. 11.



impendiis creaturæ suæ misellæ & perditæ subuenire. Tertio denique, si effectum & fructum spectes, hic quoque est infinitus. Nam complura beneficia infinitæ æstimationis nobis per mysterium Incarnationis siue per Verbum incarnatum sunt collata, de quibus nunc dicemus. Ex his constat, hoc beneficium triplici ratione esse infinitum, & infinitis laudibus, gratiarum actionibus, & obsequiis dignum.

Primo igitur misericordiæ beneficio, quod ceterorum est fundamentum, explicato, consideremus reliqua non omnino omnia, sed potissimum generalia, quæ infinitæ sunt æstimationis.

## CAPVT VIII.

*De beneficio Dæct. in nobis per Verbum incarnatum collato.*

*Secundum beneficium, Doctrina celestis. Tenebra mundi ante Christi aduentum.*

SECUNDVM itaque beneficium est *Cælestis illa doctrina*, quam per se nobis impertit. Vide quantis in tenebris mundus ante Domini aduentum fuerit, & quantis erroribus implicitus. Ignorabat mundus (paucis exceptis) suum & rerum omnium Opificem; ignorabat diuinam prouidentiam & gubernationem, fines bonorum & malorum, vitam scilicet æternam, & mortem æternam, cælum & infernum; ignorabat animæ immortalitatem, peccatorum malitiam, virtutum & bonorum operum dignitatem, regulam rectè viuendi: ignorabat viam vitæ, & cæcus per tenebras currebat in mortem, mortem secundam, mortem immortalem. Pro Numine colebat vel cælestia corpora, solem, lunam, astra; vel homines impios & damnatos, qui olim potentia vel industria aliqua excelluerant, adulteros, homicidas, deceptores, irapuros, omnibus sceleribus inquinatos, Saturnum, Iouem, Martem, Mercurium, Venere, & similes; vel horum statuas, & in statuis dæmones salutis suæ hostes; vel animalia rationis expertia, & alia his fœdiora. Denique diabolus Princeps tenebrarum, tamquam huius mundi tenebrosi deus, omnes sub suo imperio & disciplina tenebat, secumque ad infernum & æternam noctem trahebat. O tenebras exitiales, & æternæ mortis æternique luctus præuias & socias! ô infelix seculum ante Domini aduentum, tanto malo oppressum, quantumuis opibus, potentia, & eloquentia florens! ob quas tamen nugæ quædam curæ & infelices animæ illud mirantur, & beatum prædicant,



cant, stultè nimis & absurdè! humana sunt ista, terrena & momentanea; nec hilum profunt ad vitam æternam, si doctrina Christi absit, si Christum Dei Sapienciam, & viam salutis ignores.

60 Dominus igitur nostri misericordia commotus cum in mundum venisset, sua doctrina has tenebras dispulit, errores detexit, <sup>Illustratio per Christum.</sup> diaboli fraudes & tyrannidem aperuit, mundum illuminavit, Auctorem rerum omnium, eiusque providenciam, misericordiam & iustitiam ostendit, bonorum præmia, & æterna supplicia proposuit, denique totam salutis viam, hoc est seipsum & sua instituta, clarissimè omnibus demonstravit, & facillimam reddidit. Fecit autem hoc non per Angelum aliquem, vel Prophetam, sed per seipsum, <sup>Quanto labore.</sup> aliquot annorum tractu, ingenti labore, in fame & siti, in æstu & frigore, in multa corporis fatigatione, in variis locis, in oppidis, in viculis, in deserto, in montibus, in campestribus, terra & mari, publicè & priuatim, per domos & Synagogas, in Templo & in plateis, nunc multis nunc paucis auditoribus. Neminem dedignabatur, nemini doctrinam cælestem subtrahebat, omnibus eam offerens, & passim etiam ingerens, & occasionem captans vbi opportunum iudicabat. Neque verò ob hominum duritiam, aut Phariseorum calumnias & atroces in ipsum blasphemias, neque ob tormentorum & mortis metum (quamvis sciret hæc sibi propter suam doctrinam ab ipsis parari) vnquam destitit. Iam verò quàm benignè ad discipulorum & auditorum suorum captum se demisit, quàm aptè eorum ruditati sublimem illam doctrinam suam accommodavit, adhibitis exemplis, parabolis, similibus ex rebus vilitatis & humanis, vtenisque sermone vulgari, absque verborum fuce, absque vanis lenociniis orationis. Quàm patienter eorum <sup>ἀποροῦσαν</sup> inconsiderationem, ingenij crassitiam & tarditatem sustinuit? sæpius eadem explicans, ad vides & inconspectas eorum interrogationes benignè respondens, distortas illorum apprehensiones corrigens, & mentem eorum terrenis assuetam, sensim ad cælestia, capiendâ familiariter instruens. Mirabile spectaculum, videre Sapienciam illâ cum rudibus & infimæ sortis hominibus, cum piscatoribus & mechanicis assidue versantem, ambulantem, sedentem, comedentem, loquentem, in illis erudiendis docendisque assidue occupatam, & eorum captui suaviter in omnibus se accommodantem. Quis iam non libentissimè se, quantumvis sibi sapiens videatur, in rudibus erudiendis occupet, cum videat id tanto studio ipsam Sapienciam incarnatam fecisse?

Ii 3 Denique,



Excellentia  
doctrinae Christi  
si quoad  
modum.

Denique, si ipsa doctrina spectetur, quam haec tota grauis, quam seria, quam aliena ab omni curiositate, nihil nisi quod sit vtile salutis continens! quam placida, & rudibus etiam ingenii accommodata, ut omnes eius possint esse participes! quam sublimis & inexhausta profunditatis, ut nullum ingenium sit tantum, quin semper in ea possit proficere! quam pura, quam omni ex parte perfecta, totum illustrans intellectum, omnem reformans affectum, omnem excludens iniquitatem, omnem dirigens operationem, omnem componens vitam, omnia interiora & exteriora hominis diuinae voluntati & aeternae legi conformans! Vniuersa sacra Scriptura admirabilis est & diuina, utpote ex Spiritu sancti illustratione profecta; sed multum eminet Euangelicus sermo, quem Sapientia incarnata suo ore deprompsit. Est enim & planior, & sublimior; ad intellectum illustrior, ad affectum potentior, ad gustum internum dulcior, ad conuersionem peccatorum efficacior, ad profectum iustorum & perfectionis culmen assequendum conuenientior. Vtitur enim Spiritus sanctus ingenii hominum ut instrumentis, eorumque conditioni, quoad elocutionem & modum apprehendendi, salua veritate eorum quae enuntiari vult, se plurimum attemperat. neque enim consuetum illorum eloquendi aut concipiendi modum immutat, sed iis utitur prout inuenit. quo fit ut magna sit varietas in sacris Scripturis, pro varietate ingeniorum quibus Spiritus sanctus utitur. At instrumentum quo sermo Euangelicus est administratus, fuit humanitas Christi omni sapientia & eloquentia praedita, nihil scabri, distorti, obscuri, aut alicuius humanae imperfectionis habens. quare poterat orationem suam optimè ad nostrum captum & vtilitatem, seruata sensus profunditate, temperare. Vnde certum est, hac doctrina nihil vel elocutione, vel conceptibus rerum, vel sententiarum vi & pondere excellentius, aut homini conuenientius ac salutarius posse cogitari, ex eaque facile percipi, autorem longè maiorem homine fuisse. quo fit ut qui illam attentè legit, aut perpendit, mirè afficiatur, & summa tantae sapientiae capiatur admiratione. Consideremus parum per quam miris modis, & ad quam perfectionem nos excitet.

Quam subli-  
mis sit do-  
ctrina Christi  
de moribus.

Quo modo  
Christus eg-  
mendet pau-  
peratatem, ca-  
sitatem, obe-  
dientiam &  
abnegationem  
sui, dilectio-  
nem inimico-  
rum, mansue-  
tudinem,  
& studium  
orationis.

Ad paupertatem & rerum terrenarum abdicationem: *Nisi quis 62  
renuntiauerit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus.* &  
Matthæi 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quae habes, & da  
pauperibus, & habebis thesaurum in caelo.* & infra: *Amen dico vobis,  
quod vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, &  
vitam*



vitam aeternam possidebitis. Marci 10. Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut patrem, aut agros propter me & Evangelium, qui non accipiat centies tantum nunc in hoc tempore, & in seculo futuro vitam aeternam. Idem habetur Luc. 18.

Ad castitatem: Matth. 19. Sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum caelorum, qui potest capere capiat.

Ad obedientiam & integram sui mortificationem: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Luc. 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Ioan. 12. Qui amat animam suam, perdet eam; & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. Idem sapientius Dominus vsurpauit.

Ad dilectionem inimicorum: Matth. 5. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persecuentibus & calumniantibus vos, ut sitis filij Patris vestri qui in caelis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Et alibi iubet, ut quoties frater in nos peccauerit, toties ei ignoscamus, etiamsi id centies vel millies accideret. Quante Domini doctrinam hæc sciuit, (paucos quosdam diuinitus illustratos excipio;) vel si quis sciuit, quis tam clarè, tam enucleatè tradidit? Quis dignitatem & vtilitatem paupertatis, castitatis, abnegationis sui, dilectionis inimicorum ita explicuit, & homines tam efficaciter ad hæc concitauit?

Ad studium orationis: Luc. 18. parabolâ iudicis iniqui docet oportere semper orare, & non deficere. & Luc. 11. idem ostendit parabolâ amici petentis ab amico tres panes, inde concludens, Et ego dico vobis, petite & dabitur vobis, querite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. omnis enim qui petit accipit, & qui querit inuenit, & pulsanti aperietur. Quod rursus alia similitudine pulcherrimè confirmat: Quis, inquit, ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut si petierit ouam, numquid porroget ei scorpionem? Si ergo vos cum his mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester caelestis de caelo dabit spiritum bonum petentibus se? Denique sæpè repetit, omnia nos impetraturos, quæ in nomine ipsius petierimus. Verùm quàm diuina & admirabilis est illa oratio, quam discipulos suos docuit, cuius vim alibi breuiter expendimus.

63 Omitto diuinas illas parabolas sapientiæ plenas, & alia quibus nos

Matthæi 18.

De summo  
bono Lib. 4.  
cap. 1.

nos



Matth. 5. &  
Luc. 6.Psal. 77.  
Matth. 13.

Sap. 13.

Sap. 9.

nos ad fiduciam diuinæ providentiæ, ad mortis contemptum, ad patientiam, mansuetudinem, humilitatem, temperantiam, ceterasque virtutes mirabiliter instruit. Omitto stupendam illam, & carni paradoxam beatitudinum doctrinam, ad quam tota Philosophorum doctrina vix umbræ instar obtinet. Quam verè de se dixit Sapientia illa: *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi!* Quis ergo neget, hoc beneficium doctrinæ infiniti esse pretij? Est enim fundamentum salutis, est radix immortalitatis & vitæ æternæ: sine hac doctrina omnis ars, omnis scientia, prudentia, eloquentia, industria vana est, & magis noxia quàm utilis: ad hanc omnis sapientia humana nox est, & meræ tenebræ. *Vani enim sunt omnes homines, in quibus non est scientia Dei. Et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.* Deinde si beneficij magnitudo pensetur ex modo & labore quo collatum est, etiam ex hoc capite hoc beneficium infinitè æstimandum, quod tanto labore, sudore, studio & incommodis Filij Dei nobis est præstitum.

## CAPVT IX.

*De beneficio Exemplorum omnis virtutis.*Tertium be-  
neficium,  
Exemplum.Cur via vir-  
tutis vitea-  
tur ardua,  
& sæculi sa-  
culis.

**T**ERTIVM beneficium est *Exemplum omnis virtutis*, quod nobis Sapientia incarnata per seipsam præbuit. Non satis illi erat nos docere verbo, & omnis boni disciplinam diuino sermone suo mentibus nostris commendare, sed voluit etiam nos confirmare ac incitare suo exemplo, & ad omne virtutis officium præire. Multi enim alioquin dicturi erant, facile esse perfectam virtutem oratione tradere; sed nimis difficile, operatione & factis exhibere: hanc difficultatem non esse Dominum nostrum expertum, sed grauiam nobis onera imposuisse, quæ digito suo ipse non tetigisset; sicque difficultate rei deterriti, salutarem doctrinam vel non fuissent complexi, vel semel susceptam abiiecissent. Mens enim humana, cum inter naturas rationales sit infima, ac proinde carni mortali inserta, & sensibus addicta, nihil præter sensibilia & temporalia, vt honores, diuitias, voluptates perfectè apprehendit: spiritalia, vt pulchritudinem virtutum, & bona vitæ futuræ, obscure & confuse. Hinc fit vt à spiritualibus moueatur parum & languidè, à sensibilibus multum & validè. motiones enim affe-



affectuum, cognitionis apprehensionem sequuntur. quare obiectis difficultatibus, & iis quæ carni molesta, homo facile recedit, & studium virtutis abiicit: molestias enim illas, utpote sensibiles & naturales, valide apprehendit; cumque oriuntur ex rebus obscuris & non satis per experientiam comprobatis, fingit eas centuplo grauiores quam reuera sint, & ita facile ab illis vincitur. bonum enim imperfecte apprehensum, (quale est bonum virtutis & gloriæ celestis) non tantum attrahit, quantum ingens molestiarum imaginatio deterret. In bonis autem sensibilibus persequendis (qualia sint opes, honores, & voluptates) etiam magnæ difficultates se offerant, mens tamen humana perstat: quia etiam illæ molestiæ per se deterreant, magis tamen bonorum speratorum vehemens apprehensio allicit, quorum ardens amor facit, etiam ipsas molestias longè quàm reipsa sint minores videri. Hæc est pænè tota ratio & prima origo, cur via virtutis, alioquin per se facilis & iucunditatis plena, videatur difficilis & amara; econtrariò via sæculi, reuera aspera & molestissima, videatur facilis & iucunda. Plus enim allicit fortis apprehensio bonorum sensibilibus, quàm deterreat imaginatio malorum illis annexorum: & plus deterret valida imaginatio molestiarum quæ studio virtutis inesse videntur, quàm apprehensio bonorum spiritualium (quæ in nobis valde tenuis & obscura) alliciat. Dominus igitur huius infirmitatis nostræ conscius, ut fortius apprehenderemus bonorum spiritualium excellentiam, & minoris æstimaremus difficultates annexas, exemplo suo in omnibus præire voluit, & sensibile exemplar omnis perfectionis nobis exhibere, ad quod assidue intuentes, totam vitam nostram conformemus.

65 Primùm igitur dedit nobis illustrissimum exemplum *paupertatis, humilitatis, & contemptus sæculi*, dum sibi parentes pauperes deligit, dum in stabulo nascitur, dum præsepio cunarum loco utitur, dum neque domum neque supellectilem, neque locum vllum, ubi caput suum reclinet, possidet, dum ut mendicus elemosynis piarum vivit, dum pauperes discipulos sibi sociat.

*Castitatis*, quia de virgine castissima nasci voluit, & ipse perfectissimè virginitatem seruauit, & omnes tantæ rei capaces ad eius excellentiam est hortatus.

*Obedientiæ*, subdens se parentibus, subiiciens Principibus, subiiciens Legi veteri, & obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis.

*Exemplum  
paupertatis,  
& aliarum  
virtutum.*  
Luc. 1. & 2.  
Luc. 9.  
Psalm. 39.  
& 108.  
1. Cor. 8. 9.  
Math. 4. &  
Ioan. 1.  
Math. 19.

Luc. 2.  
Math. 17.  
Philip. 2.



Luc. 6, 12.

*Orationis*, crebrò rogans Patrem semotus à turbis, & pernoctans in oratione Dei; præterquam quòd mens eius omni tempore & loco per contemplationem, amorem, laudem, & gratiarum actionem Diuinitati excellentissimè esset coniuncta.

Ioan. 2.

Marc. 1, 38.

*Zeli honoris Dei & salutis animarum*, dum facto flagello eiicit è templo ementes & vendentes, dum totos dies vicos & oppida prædicans regnum Dei circumit, nulli parcens labori, nullis cedens iniuriis, in fame & siti, in æstu & frigore, in vento & pluuia, per aspera & lutosa, nudo capite, nudis pedibus, fatigatus laboribus, afflictus doloribus, affectus contumeliis, appetitus lapidibus, multis malis pro summis suis beneficiis exceptus. Denique, dum sponte se in mortem & omne genus tormentorum pro gloria Dei, & hominum salute tradit.

1. Petri 2.

*Patientie & mansuetudinis*, tum in tota vita, tum potissimum in passione. *Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniuste, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, qui etiam pro iis ipsis qui eum tot contumeliis & tormentis afficiebant, in mediis cruciatibus Patrem exorauit.

Simili modo dedit nobis exempla *modestie, grauitatis, maturitatis, sobrietatis, castigationis corporis, vigilantie, circumspectionis in dictis & factis, benignitatis, affabilitatis, compassionis, misericordie*, & aliorum virtutum; eaque adeò perfecta & eximia, vt præstantiora animo concipi nequeant: nam tota vita exactè respondet doctrinæ, eique ad amissim est veluti commensa, tum ex parte obiecti, tum ex parte cognitionis. Cum igitur doctrina Christi sit perfectissima, siue cognitionem spectes, qua ipse eam animo concipit; siue obiectum & rationem operandi, qua ipsius voluntas mouebatur ad operandum; etiam exempla vitæ perfectissima sunt, adeò vt præstantiora in singulis virtutum generibus dari nequeant.

Quantum  
sit beneficiū  
exemplorum.

Quantum autem sit hoc beneficium, ex eo primum perspici potest, quòd parum efficax illa spiritalis & supernaturalis doctrina, in tanta naturæ corruptione & ad sensibilia pronitate, futura erat, nisi sensibilibus exemplis ad permouendos homines iuuaretur, vt supra ostensum est. Longè enim maiorem impressionem in animum faciunt viuia exempla, quæ oculis videntur & manibus palpantur, quàm sublimis doctrina longè à sensibus remota. Vnde maximum fructum faciunt illi Concionatores, & Superiores, & animarum curatores, qui id ipsum quod docent & aliis imperant,

prius



prius ipsi vita & moribus exprimunt: sicut econtrario parum vel nihil fructus referunt, sed damnum potius inferunt, quorum vita suæ doctrinæ non respondet, & quod verbo student in proximis ædificare, exemplo deserviunt, vna manu homines ad Deum allicientes, & altera repellentes. Nihil itaque vel certè parum sine exemplo actum erat in genere humano ad vitæ sanctitatem. Deinde, quod hæc exempla tanti Filio Deisterint. Idè enim tot annis in terris nobiscum versatus est, idè tot labores subiit, tot calumnias & acerbitates sustinuit, tam grauias & indignas perpessus est. Neque enim ad soluendum pretium redemptionis nostræ, tot & tam diuturnis laboribus & perpeffionibus opus erat: vna enim precatio, vna Sanguinis gutta, ad totius mundi abluenda peccata ex se erat sufficientissima. Sed ad luculentissimum omnis virtutis & perfectionis exemplum exhibendum illa erant potissimum necessaria: quamuis simul in illis subeundis non solum exemplum & imitationem, sed etiam redemptionem & solutionem nostri debiti spectauerit, vt propitiatio & redemptio nostra eò copiosior esset & redundantior. Ratio tamen exempli & imitationis videtur fuisse præcipua, cum modum necessariæ redemptionis tantopere excesserit. Vnde passim Scriptura etiam passionem & crucem exempli causa ipsum subiisse docet. B. Petrus Epist. 1. cap. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis* (etiam vobis qui non estis discipuli vel Apostoli) *relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* & cap. 4. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* & Dominus ipse Matth. 20. cupientibus cum ipso regnare inter primos, *Potesis, inquit, bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* & Apostolus Paulus passim Christum crucifixum, vt exemplar omnis sanctitatis imitandum proponit. Non ergo parum momenti exemplum vitæ Domini nostri ad salutem & perfectionem adipiscendam habere putemus, quod ipsi tot laboribus & doloribus constitit, sed potius illud fuisse necessarium: alioquin Domino non tantopere cordi futurum. Hoc maximè omnes Sancti noui Testamenti intuiti sunt, & eos ad tantam sanctitatem euexit. Hoc martyria excitauit, hoc paupertatem, humilitatem, contemptum sæculi, virginitatem docuit, hoc omnium Religionum fons & origo, ex hoc omnia Sanctorum exempla, veluti ex prototypo sunt deducta. Quare sicut pictor, qui eximiam aliquam formam in tabula vult depingere, assidue propositum habet exemplar quod vult imitari, ad illud creberrimè respectans, vt illi suam picturam, quantum fieri potest, assimilet:

Extrauag. V.  
nigenus, De  
penit. & re-  
mission.

Psal. 129, 7.

Rom. 8.  
Hebr. 12.



Exemplum  
Christi sem-  
per ob oculos  
habendum.  
Galat. 2.

milet: ita quivis Christianus, & maximè Religiosus, cuius tota professio est Christum imitari, Christi imaginem in se exprimere, atque adèd Christum induere, vt dicere possit cum Apostolo; *Vino autem non iam ego, vivit verò in me Christus*: debet Christi vitam & conuersionem semper habere præ oculis, eamque ita menti imprimere & imaginatione sibi representare, vt hæc cælestis forma ex intellectu transeat penitus in affectum, & ex affectu in opus, totamque vitam externam; vt foris & intus simus omnino Christo similes, & vt sic dicam Christiformes. Hæc enim est summa hominis Christiani perfectio, similè esse Christo Domino suo. Nam

Math. 10.

*non est discipulus supra magistrum; perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius*. Tales fuere magna illa nomina Petrus & Paulus, ceterique Apostoli, & quicumque sanctitate vitæ eximij exitere.

## CAPUT X.

*De beneficio Liberationis à peccato, & à morte eterna.*

Quartum  
beneficium,  
Liberati à  
peccato.

Peccati ma-  
litiâ infinita.

QUARTUM beneficium est *Liberatio à peccato*. Hoc quoque beneficium est immensum, siue malum spectes quod tollitur, siue modum & difficultatem qua sublatum est. Si enim ipsum malum consideres, sicut Deus est summum bonum, ita peccatum quod repugnat diuinæ bonitati, est summum malum. Quare sicut Deus est bonum infinitum, ita quoque peccatum, immensum quoddam est malum. Crescit enim magnitudo offensionis ex magnitudine personæ offensæ: quò enim persona offensa dignior, eò iniuria est grauior. Si ergo persona sit infinitæ dignitatis, peccatum quoque malitiam quodammodò infinitam habebit. Hinc fit vt nulla pura creatura pro peccato mortifero ex æquo satisfacere possit, imò nec omnia Sanctorum opera vel vnum peccatum valeant compensare; adèd vt si in statera appensa fuerint, hinc quidem vnum peccatum mortiferum, inde verò tota bonorum operum, quæ vquam ab Angelis vel hominibus facta sunt, collectis; longe præponderatum sit peccatum. Tota enim illa collectio finitæ est bonitatis, & quasi nihil ad honorem tantæ maiestati debitum. At peccatum cum repugnet illi maiestati, infinitam quamdam malitiam continet; vtpote superioris ordinis in ratione mali, quàm sint opera iustorum in ratione boni; vt infra, cum de Iustitia agemus, ostendetur. Quam ob causam sancti Patres docent necessarium fuisse Filium Dei incarnari, vt pro peccatis nostris iustam satisfactionem & pretium



pretium æquale diuinæ iustitiæ exhiberetur, sicut supra declaratum est. nullam enim puram creaturam id potuisse.

69 Ex quibus ulterius sequitur, omne peccatum mortiferum natura sua, (se mota satisfactione Christi) de lege ordinaria esse irremissibile: quia sine iusta satisfactione remitti non potest, iustitiæ diuinæ lege id vetante; iusta autem satisfactio extra illam personæ diuinæ, dari non potest. Itaque necesse est ut constituat hominem in termino, & ipso facto æternis inferorum pœnis, absque vlla spe liberationis, addicat. quod insinuat S. Chrylost. Hom. 22. in 2. ad Cor. cum ait: *Peccatum ita se habet, ut mox atque patratum fuerit, sententiam ferat iudex.* hinc peccatum dicitur *mors anime*. Sicut enim mors constituit in termino, eò quòd vita semel amissa, nullis creaturæ viribus recuperari potest; ita peccatum, cum tollat animæ vitam, quæ nullius creaturæ ope potest restaurari, hominem in termino & in æterna damnatione constituet. Cuius etiam rei signum euidens habemus in angelis: hi enim cum non haberent redemptorē qui pro ipsis satisfaceret, & vim peccati ad inferos statim trahentis suspenderet ac inhiberet; simulatque peccarunt, statim ipso facto in termino sunt irreparabiliter constituti. Idem omnino in nobis fieret, nisi infinita Dei misericordia præuenisset, inhibito peccati pondere in damnationem subito præcipitante, eo quæ per Sanguinem Christi perempto. Est enim peccatum veluti pondus quoddam immensum, creaturam infinito quodam impetu deorsum in infernum trahens, cui nulla vis creata, sed sola Dei misericordia & omnipotentia potest obistere. Hi sunt *rudentes inferni*, quibus angeli peccantes in tartarum detracti. Ex his constat, insuperabile & immensum quoddam malum esse peccatum; ac proinde eius solutionem & deletionem infinitum quoddam beneficium.

*Peccatum mortiferum satisfactionem se esse irremissibile.*

*Peccatum insuperabile pondus.*

*2. Petr. 2.*

70 Nunc si modum consideremus quo hoc malum sustulit, etiam ex hoc capite beneficium hoc immensum esse reperiemus. Non enim simplici condonatione, aut alio modo facili, sed difficillimo, & diuinæ celsitudini quodam modò indigno id præstitit. Nam peccata totius mundi in se suscepit, seque in natura humana, tamquam omnium illorum reum diuinæ iustitiæ exhibuit, & Sanguine morteque sua, quasi illorum auctor, ea luit, ut infra dicemus.

71 Quintum beneficium est *Liberatio à morte æterna*. Hoc beneficium virtute continetur in priore: remissa enim culpa, tollitur reatus pœnæ æternæ. Tamen hæc mala sunt distincta, & diuersi ordinis, quamuis alterum ab altero pendeat: & Scriptura ea tamquam

*Quintum beneficium, Liberatio à morte æterna.*



quam distincta proponit. Vnde etiam duplex est in illis tollendis beneficium: nec minores gratiæ sunt agenda, quàm si alterum ex altero non penderet. Eramus omnes per peccatum necessitate quadam morti æternæ, imò æternis inferorū incendiis addicti. Etsi enim peccatum originis per se non mereretur tormentū ignis, aliosque sensuum dolores, tamen cum ex hoc non remisso, necesse esset in multa peccata actionis, eaque mortifera, quibus æternus ille cruciatus debetur, prolabi; non poteramus vllō modo illa incēdia euitare. Hæc sanè infinita quædam erat miseria, cui omnes miseræ huius vitæ, etiamsi in infinitum multiplicentur, non valent comparari: omnes enim istæ breues sunt & momentaneæ; illa verò (præterquam quòd omnia tormenta, quæ mortalis natura non dico perferre, sed vel sentire & capere ad breue tempus potest, acerbitate longè superat) finem nullum habet.

Perpende quid sit, esse in illo teterrimo carcere, in illis horrendis tenebris, semotum ab omni luce, ab omni creaturarum amœnitate, ab omni solatio, in summis omnium sensuum cruciatibus, in acerrimis illis incendiis; ibi torreri, ibi ardere, idque non vnum diem, non vnum annum, non centum annos, non mille, non centum annorum millia; sed infinitos annorum miliones, quamdiu stabit orbis, quamdiu viuet Deus, absque vlla spe liberationis, absque vlla dolorum intermissione. Quis non dicat hanc miseriam esse immensam & incomprehensibilem? quare & infinitum fuit beneficium, quo illa miseria sublata. Ab infinita enim miseria eximere, infinita misericordia est, & beneficium immensum. Sed quomodo hoc beneficium contulit? Soluendo pœnas in suo corpore, quæ peccatis nostris debebantur; quæ ob infinitam personæ dignitatem facillè compensare poterant nostrarum pœnarum æternitatem.

## CAPVT XI.

*De beneficio Adoptionis.*

*Sextum beneficium  
Adoptio.*

**S**EXTUM beneficium est, *adoptio filiorum*, & ius vitæ æternæ. Hoc beneficium est distinctum omnino à prioribus: non enim necessariò cohæret cum remissione vel peccati, vel pœnæ æternæ, si naturas rerum spectemus. Cum enim Princeps condonat alicui, quem ex humillimo statu adoptat in filium, crimen commissum, remittens iniuriam, indulgens pœnam, & abstergens infamiam, non



non eo ipso rursus adoptat in filium, aut tribuit ius ad regnum: sed satis multum beneficij contulisse videtur, si cum tantis malis liberatum patiatur viuere in proprio statu, quem ante adoptionem habebat. Pari modo non erat necesse vt Deus, condonato peccato & supplicio illi debito, nos rursus in filios adoptaret, sed poterat relinquere in statu naturæ, & pro mercede dare statum Angelicum, qualis Angelis est naturalis. Præclare enim adhuc nobilem actum putassemus, quòd tantis exempti malis possemus ad tam eximium statum, nostræ naturæ conditionem tantopere excedentem adspirare. Quanta enim res est, esse similem Angelis immortalitate, impassibilitate, agilitate, *ἀταραχία*, seu sufficientia sui, (qua quis sibi sufficiens, externis præfidiis non indiget) exacta omnium rerum creaturarum notitia? Negari non potest, quin magna in istis sit felicitas, & longè maior quàm omnes honores, diuitiæ & voluptates huius vitæ, homini sanissimo & omnibus naturæ præfidiis ornatissimo possint adferre. Verùm his contenta non fuit immensa illa bonitas, sed incomparabiliter maiora nobis præparauit. Non enim solum condonat iniuriam peccati & poenam æternam, euehitque ad spiritualis naturæ sortem naturalem, sed rursus adoptat in filios, & ius regni cælestis & diuinæ hereditatis restituit, quæ naturali Angelorum felicitate infinitè est præstantior.

*Adoptio per se est distinctum beneficium à condonatione peccati.*

73 In quo beneficio quatuor consideranda. Primò, Status vnde euehit. Secundò, Status ad quem euehit. Tertiò, Bonum quod inde expectamus. Quartò, Medium quo id præstitit. Euehit enim nos cum essemus inimici, omni beneuolentia, omni beneficio ac bono indigni, æternis suppliciis obnoxij & addicti. Euehit autem non ad statum aliquem mediocrem, non ad humanæ vel Angelicæ naturæ felicitatem, sed ad statum supremum ac diuinum, vt simus filij Dei, filij Regis æterni, heredes Dei, coheredes Christi, confortes diuinæ gloriæ, & omnium diuinorum bonorum participes. Ex quo tantum bonum, tantum gaudium, tantam gloriam expectamus, quantam *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitando assequi potest*. Quanta distantia, quàm ingens interuallum inter statum ex quo erepti, & ad quem euehti sumus? inter infimum, quo infra omnem creaturam eramus depressi; & inter summum, quo supra omnem naturæ creaturæ excellentiam attollimur? inter statum inimici, & filij charissimi? Sanè negari non potest, quin immensum sit horum statuum interuallum, cum gradus diuersi ordinis (quorum proinde discrimen

*Quatuor consideranda in beneficio Adoptionis.*



men est incomparabile ac immensum) sint interiecti. Nam inter statum peccati, & statum nudæ innocentisque naturæ est quoddam interuallum infinitum: pari modo inter statum innocentis naturæ humanæ & felicitatis Angelicæ: denique inter statum Angelicum & filiorum Dei. Tantum enim inter hos status est discrimen, vt nulla bonorum eiusdem ordinis appositione ab inferiore ad superiorem perueniri & ascendi possit. Qui enim est in statu peccati mortiferi, etsi absque fine diuitiis, honoribus, imperiis & regnis cumuletur, miserrimus est, nec vnumquam ei qui in statu naturæ innocenter viuit, felicitate comparari poterit: peccati enim mortiferi malignitas nullis bonis opprimi potest, quin hominem vilissimum & infelicissimum faciat. Qui verò est in statu naturæ innocentis, numquam potest ad perfectionem Angelicam pertingere, etiamsi absque fine bonis humanis, quorum scilicet natura illius, vi sua est capax, vt robore, agilitate, pulchritudine, sanitate, eloquentia, industria, experientia rerum, artibus liberalibus, mechanicis, Mathesi, Astronomia, & omne genus scientiis augeatur. Tota enim humanæ naturæ perfectio ad Angelicam comparata, est instar nihili, & veluti punctum ad cælorum immensitatem. Denique Angelica perfectio, etiamsi absque fine in suo ordine crescat, numquam statum filiorum & gloriam ipsis præparatam æquabit. Ex quibus constat quàm immensum sit interuallum inter statum illum è quo per misericordiam crepti, & illum ad quem euecti sumus; ac proinde quàm immensum sit beneficium istud adoptionis.

*Quomodo  
adoptari  
in filios.*

*Per unum  
hominem qui  
Filius natu-  
ralis, ado-  
pantur reli-  
qui, & sunt  
filij ad opti-  
Rom. 8.*

Sed quo medio, qua ratione adoptionem nobis contulit? Ratione prorsus admirabili. Nam primò vnum hominem in filium naturalem assumpsit, tota Diuinitatis plenitudine in ipsum refusa & substantialiter vnita. per hunc adoptet, & filios Dei efficiat omnes eos, qui illi homini per Fidem & Sacramenta, tamquam rami trunco, & palmites viti inseruntur. Statim enim vt quis inseritur & adhærescit Christo, à spiritu Christi, qui est eius Diuinitas, veluti animatur & viuificatur; ac proinde efficitur filius Dei: *Qui enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*, vt inquit Apostolus. Eodem enim spiritu viuunt quo Deus ipse, & quo Christus filius Dei naturalis viuit, etsi hic spiritus diuerso modo istis communicetur: personis enim diuinis communicatur per identitatem, idque vel immediata necessitate, vt Patri; vel per æternam generationem aut spirationem, vt Filio & Spiritui sancto, humanitati verò Christi



sti per hypostaticam vnionem, nobis per quamdam extensionem, qua mediante dono gratiæ iustificantis incipit esse noster spiritus, nostra vita, nos inhabitans, ornans, mouens, regens, & omnes vitales functiones Deo placentes in nobis excitans & edens. Itaque hoc spiritus diuinæ personæ viuunt naturaliter, cum sit illarum, esse & vita naturalis: humanitas Christi quasi naturaliter, propter substantialem vnionem: nos verò omnino supernaturaliter. Est enim vita nostra, vt ita dixerim, superuitalis, & essentia superessentialis. Cogita spiritum Christi esse veluti immensam quamdam animam, quæ angustis istius humanitatis non coëreatur, sed in omnem partem in infinitum quasi exundat. Itaque sufficiens est, vt non solum illum hominem, seu hoc indiuiduum, sed omnes etiam illos qui illi adhæserint viuificet, & consequenter filios Dei efficiat.

*Eodem spiritu quo Deus viuit, etiam viuit Christusquæ homo, & quilibet infans.*

75 Sumus igitur filij Dei propriè & formaliter, non tam per donum aliquod creatum, quàm per inhabitationem & possessionem spiritus diuini viuificantis & regentis animas nostras. Quod confirmatur Primò: Quia nullum est donum creatum habituale, cum quo, si per se præcisè spectetur, non possit consistere peccatum, si Deus, homine iusto peccante, pergeret illud donum conferuare, vt plerique Theologorum fatentur. at cum filiatione diuina implicat consistere peccatum: aliquid ergo amplius continet quàm præcisè entitatem creatam illius doni.

*per quid formaliter sumus filij Dei.*

Deinde: Quia eminentissimum donum creatum in hac vita, videtur esse charitas: per hanc enim diligimus Deum supra omnia, omne bonum illi volumus, & affectu quodammodo conferimus, & diuinæ voluntati legique æternæ conformamur. Vnde etiam nulla videtur esse creatæ dispositio in homine, saltem in hac vita, quæ Deo possit esse gratior. atqui non est ea charitatis natura, vt per se & vi sua absque alia benigna ordinatione, faciat filium & heredem eius qui diligitur. Non enim si diligo Regem, efficior mox filius Regis; imò nec idipsum ex natura rei mereor, aut dignus tanto munere efficior.

Tertio: Quia filius constituitur per communionem eiusdem naturæ; atqui charitas præcisè non est cõmunio naturæ diuinæ, cum sit donum creatum, & inclinatio quædã ad dilectionem, nec vllam ex Deo na-

L1 ciuitatem



tiuitatem dicat. Quartò, Confirmatur ex Scripturis: Ioan. 1. *De-*  
*dit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius,* &c. qui-  
 bus verbis amplius vult significare, quàm esedentes potè Deum  
 diligere; nempe posse illos inferi & incorporari Verbo incarnato,  
 Filio Dei naturali, & ita accipere eundem spiritum, sicque nasci  
 ex Deo. *Nasci* enim ex aliquo, est ex eo formam ipsi similem ge-  
 neratione trahere. Ioan. 6. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo*  
*propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* quali dicat:  
 Sicut ego vitam accepi à Patre qui me misit; ita qui me manducat,  
 vitam à me accipiet. nam vitam quam accepi à Patre, transfundam  
 in eos qui me manducabunt, vt eadem vita & Pater, & ego, & ipsi  
 viuant. Porro vita quam accepit à Patre, est ipsa Diuinitas, quam  
 vt Verbum accepit per generationem æternam, vt homo per vnio-  
 nem hypostaticam. hanc in nos transfundit per donum gratiæ  
 quod confert iis qui carnem ipsius manducant. Et infrà: *Spiritus*  
*est qui viuificat, caro non prodest quidquam.* id est, Caro mea per se  
 non dabit vobis vitam æternam, sed spiritus, id est, Diuinitas ipsi  
 vnita, qui spiritus in vos transfundetur. Sed clarissimè Apostolus  
 ad Rom. 8. *Quicumque spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei.* nimirum  
 quia spiritus Dei iam est spiritus ipsorum, sicque sunt Deo similes  
 & eiusdem naturæ participes. Idem declarat verbis sequentibus,  
 vbi hunc spiritum vocat *spiritum adoptionis filiorum*, id est, per  
 quem efficiamur filij adoptiui. *Non enim*, inquit, *accepistis spiritum*  
*seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in*  
*quo clamamus; Abba, Pater.* Ipse enim spiritus testimonium reddit spi-  
 ritui nostro, quod sumus filij Dei: *si autem filij, & heredes; heredes qui-*  
*dem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglo-*  
*rificemur.* Manifestè autem loquitur de spiritu increato, per quem  
 & Christus est Filius. reddit hic testimonium spiritui nostro, quod  
 sumus filij Dei, quia ex eo quod spiritum Dei habemus (quem nos  
 habere ex eius effectibus quos in nobis producit conuicimus) cog-  
 noscimus nos esse filios. Idem adiuuat *infirmiorem nostram, & po-*  
*stulat* (excitat ad postulandum) *pro nobis gemitibus inenarrabilibus,*  
 vt ibidem dicitur. Et ad Galat. 4. *Quoniam autem estis filij, misit*  
*Deus spiritum Filij sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater.* Non  
 quod prius sit esse Filium, quàm habere spiritum Christi, sed eo  
 ipso quo dedit nobis spiritum Christi, facti sumus filij Dei. Idem  
 significat Dominus Ioan. 17. in diuinissima illa oratione ad Pa-  
 trem: *Vt, inquit, omnes vnium sint, sicut tu Pater in me, & ego in te,*  
 vt



ut & ipsi in nobis unum sint. Vnum, inquam, non solum per affectum & concordiam, sed etiam per communionem eiusdem spiritus, ut omnes sint vnus spiritus. addit Dominus: *Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint vnus, sicut & nos vnus sumus: ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in vnus, &c.* Hæc consummatio consistit in eo, ut sicut Christus à Patre claritatem seu spiritum accipit, quo ipse omnino sanctus est & Filius Dei; ita ipsi per Christum eundem spiritum accipiant, quo sint filij Dei, &c. Simili modo dixit Apostolus 1. Corinth. 6. *Qui adheret Domino, vnus spiritus est.* Omitto alia loca; nam passim Scriptura adoptionem filiorum Dei explicat per communicationem spiritus diuini, & spiritus Christi, vel per consortium diuinæ naturæ. Itaque non sumus filij Dei formaliter & præcisè per aliquid creatum, qua parte solum dicit entitatem creatam; sed per increatum spiritum Dei nobis donatum per Christum, siue per inhabitationem diuini Spiritus; sicque Deus ordine quodam nos ad se trahit, & redigit ad vnum corpus, & ad vnum caput, & ad vnã hypostasim, cui incorporamur, & cuius spiritu viuificamur. Est enim Christus caput omnium iustorum, & ipsi corpus eius, quod vitam & influxum vitalem ab illo accipit. Rursus, Christus est omnium iustorum hypostasis cui omnes innixi, qui omnes sustentat, portat, & spiritus sui quem à Patre accipit, benigna protensione viuificat, & filios Dei facit. Talis enim est spiritus Christi, ut angustiis humanitatis eius non contineatur, sed exterius se extendat, & in immensum diffundat, ita ut omnes, etiam si infiniti essent, viuificare possit.

76 Neque his obstat sententia eorum, qui dicunt nos fieri filios Dei per charitatē, sed mirè consentit, si rectè explicetur: charitas enim est vinculum quo spiritus Dei nobis vnitur, & in nobis permanet: nam vt 1. Ioan. 4. dicitur, *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, id est, manet in vnione cum Deo, & Deus manet in ipso* tamquam eius spiritus vitam ipsi impertiens. Similia habemus eadem Epistola, & Ioan. 14. 15. 17. Habet autem hoc charitas non vi sua naturali, dilectio enim per se non potest nobis dare possessionem boni dilecti, nec facere vt illud sit nostrum bonum, & intra nos constitutum, sed ex benigna Dei ordinatione & largitione. Qui enim diligit Deum, hunc vicissim diligit Deus. Diligere autem, est velle alicui aliquid bonum, & ipso affectu illud dare. Bonum autem quod Deus se diligenti vult, est bonum diuinum, seu spiritus diuinus. Quare cum dilectio Dei sit efficax, confert ei

*Per charitatem Spiritus Dei nobis comunicatur & vnitur.*

*Vnde charitas hanc vim habet.*



spiritum suum ut in ipso inhabitet, ipsum vivificet & regat, & suo tempore beatum faciat. Itaque dilectio qua diligimus Deum, est veluti ultima dispositio, vel meritum de congruo alliciens Deum ad donandum spiritum suum nobis. Poterat sane Deus ipsi qui ipsum diligunt, minus bonum rependere, sed ex infinita bonitate sua voluit dare seipsum. Cum enim vellet seipsum communicare creaturæ, nec melior vlla ex parte creaturæ posset dispositio reperiri quam dilectio, statuit infallibili lege omnibus ipsum dilectione supernaturali diligentibus dare spiritum adoptionis, & efficere suos filios. Cum autem dat nobis suum spiritum, non dat illum nudè absque aliquo dono creato; (alioquin nulla in nobis per iustificationem ex adoptione fieret interna mutatio & renouatio: ) sed interuentu doni creati, cui ex ipsius ordinatione spiritus ipsius est veluti annexus & inseparabiliter coniunctus. Hoc autem donum est vel habitus charitatis, vel alius quidam, quem multi Theologi cum S. Thoma ponunt in essentia animæ, & vocant habitum gratiæ, dicuntque esse quamdam participationem & similitudinem essentiæ diuinæ: sicut enim dantur participationes diuinorum attributorum, sapientiæ, charitatis, sanctitatis, iustitiæ, misericordiæ: ita etiam dari quamdam participationem ipsius essentiæ diuinæ in se consideratæ quatenus quodammodo concipitur ut prior attributis. quæ sententia est valde probabilis, maximè si essentia animæ distinguitur à potentiis. Hoc ipso igitur quo Deus confert hoc donum, simul confert spiritum suum illi dono coniunctum, & sic efficiamur filij Dei, & heredes regni, digni vita æterna.

*Quid noui  
confert ad-  
optio propter  
donum crea-  
tum.*

Dices: Spiritus Dei antea erat mihi intimè præfens, quid igitur noui mihi confertur in hac adoptione, præter donum creatum; & quam vim habet illa donatio, qua ipse spiritus diuinus dicitur nobis donari?

Respondeo, Cum quis adoptatur in filium Regis, quid noui ponit in suo ista adoptio & *υιοθεσια*? Nihil sanè physicæ entitatis: ponit tamen nouam quamdam dignitatem & moralem excellentiam, ratione cuius nunc à Rege diligitur & tractatur ut filius, & ab aliis honoratur ut Princeps, & ius habet successionis ut heres. Ante adoptionem erat ignobilis, obscurus & pauper, nullius amore vel honore dignus. Si tantam vim habet adoptio humana, absque vlla reali qualitate, quid non facere poterit adoptio diuina, etiam si nullam aliam qualitatem physicam inferat? longè enim est efficacior in suo ordine adoptio diuina quam humana: nam hæc non ponit,  
nec



nec potest ponere spiritum adoptantis in adoptato, ut adoptatus ex illo uiuat & regatur, sitque per illum dignus hereditate: illa uero id potest & facit, idque ad eum efficaciter, ut etiam si fingeremus spiritum Dei non esse ubique, sed concludi caelo; ex vi adoptionis inciperet quasi per replicationem esse in adoptato, eumque constitueret filium Dei, & heredem regni. Amor enim Dei est omnipotens, ac proinde efficax eius quod uult. Sicut si Rex qui uult alium quem adoptare, esset omnipotens, poneret in illo animam suam, eumque hoc modo filium suum constitueret. Quo casu illa adoptio esset multo perfectior, quam sit modò: adoptatus enim esset similis filio naturali, & eiusdem naturae quodammodò particeps, cuius ipse adoptans.

*Efficacia diuina adoptionis.*

78 Nec refert quòd diuinus spiritus antea illi praesens & intimus fuerit, quia non ideo minus efficaciter donari, aut de nouo haberi potest, nam praesentia rei non impedit quòd minus de nouo haberi aut possideri possit. Antea enim etsi esset praesens, non tamen erat illius spiritus, nec illi tribuebat dignitatem filij aut ius regni. Quid prodest multarum opum praesentia, si tuae non sunt, nec illarum praesentia tibi ius illis fruendi tribuat? Simili modo illa praesentia diuini spiritus parum prodest impiis, cum ipsi inde nullam dignitatem aut fructum contrahant. Magnam itaque vim habet ista donatio, per quam etsi nulla qualitas creata interueniret, tantam dignitatem & tantum iuris consequeremur: nunc uero donum creatum cui spiritus diuinus est connexus, inuenit. Nec obstat quòd semel facta sit: millies fieri potest; quia semper nouum effectum conferet, nimirum nouum donum creatum gratiae uel charitatis, quo fiat ut & perfectius spiritum Dei habeamus, & perfectius filij Dei simus, & semper ad maiorem gloriam & perfectiorem Diuinitatis fruitionem ius habeamus.

Ab hac dignitate adoptionis prouenit ferè tota nostrorum operum aestimatio, & ratio meritorum: sine hac enim nullum opus est meritorium uitae aeternae ex condigno. Etsi enim sit secundum se supernaturale, tamen haec conditio non est talis, ut excellentiae uisionis beatificae, & bonorum ei connexorum sit commensata & proportionata: infinite enim excellentior est illa uisio omnibus huius uitae actibus & operibus. Sicut enim *non sunt condigne passionis huius temporis ad futuram gloriam, quae reuelabitur in nobis*: ita nec actiones, si earum conditio realis & physica spectetur. Illa enim sempiterna est & quauis substantia creata solidior; haec

*Vnde ratio meriti.*

*Rom. 8.*



momentaneæ & fugaces: illa omne malum excludit, & omnis boni possessionem continet; hæc etiam cum peccatis, saltem venialibus, & miseriis huius vitæ consistunt: illa est in supremo gradu perfectionis, adeo ut non sit possibilis aliqua vitalis actio perfectior; hæc etiam absque fine crescunt in suo ordine, numquam ad illam excellentiam poterunt pertingere, vñ patet in cognitione Dei quæ vel ex creaturis, vel per fidem, vel per reuelationem Propheticam haberi potest. Itaque etiam si omnia bona opera Sanctorum, quæ in hac vita fecerunt, colligantur in fasciculum, non tamen vni visioni beatæ & bonis illam consequentibus, vel in ratione perfectionis, vel in ratione meriti & iustæ mercedis, absque gratia & spiritu adoptionis, æquari poterunt. Vnde apparet quanta sit impropertio nostrorum operum ad illam gloriæ coronam. Indicat hoc aperte D. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 10. *Gratia, inquit, etiam ipsa [glorificatio] idè non iniuste dicitur, quia non solum donis suis Deus dona sua reddit; sed quia tantum etiam ibi gratia diuine retributionis exuberat, ut incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quamuis bona & ex Deo data, humana voluntatis atque operationis excedat.*

*Quomodo  
opera nostra  
sunt super-  
naturalia.*

Nec refert quod opera nostra dicantur supernaturalia: quia sicut multi sunt gradus naturalium, ita & supernaturalium. Opera autem nostra videntur esse in supernaturalium operum ordine infimo. Sicut enim inter naturas rationales nostra natura infimum locum tenet, ita quoque actus naturales intellectus ac voluntatis nostræ inter actus naturales intellectus ac voluntatis naturæ rationalis infimum gradum obtinent. Similis ergo erit proportio inter actus supernaturales, si istæ naturæ per gratiæ dona eleuentur & operentur. Etsi enim dona gratiæ habitualia, qua nos & Angeli eleuamur ad statum supernaturalem, sunt eiusdem speciei; longè tamen perfectius Angeli his donis vtuntur quàm homines, ac proinde eorum actus magis sunt supernaturales, & veluti colore gratiæ magis tincti, quàm actus hominum. Cuius etiam signum est, quod ipsi minimo temporis spatio amplius sint promeriti gloriæ, quàm nos plurimorum annorum tractu; quod in solam graduum intensiorem referri non potest. Sic enim, verbi gratia, dilectio qua ipsi diligebant Deum, innumeris gradibus dilectionem qua homines Deum diligunt, superare debuisset; cum tamen credibile sit, illum actum, si graduum multitudinem spectes, non superasse dilectionis habitum. Referendum itaque erit in substantialem perfectionem actus, in quem donum gratiæ ob perfectiorem suum  
& ap-



& applicationem in Angelis longè excellentiorem influxum habuit quàm in hominibus. Alia tamen fortè ratio est in visione beatifica, quæ pro diuersa perfectione potentia naturalis intellectuæ non videtur variari quod ad claritatem attinet; qua de re diximus 81 in Tractatu De summo bono lib. 2. cap. 9. Quod autem nunc volumus, est, nullam supernaturalem conditionem, quæ ipsis operibus per se inest, sufficere, vt illa meriti condigni rationem respectu visionis beatificæ fortiantur. Itaque prouenit id maximè ex gratia adoptionis qua sumus filij Dei, diuino spiritu præditi. Cum enim hæc gratia eleuet hominem in eam celsitudinem, vt visio beata ei iam sit debita, tamquam hereditas diuina Dei Filio, etiam ipsius operibus bonis hanc tribuit excellentiam, vt digna tanto præmio censeantur. quid enim aliud functionibus filij Dei dignè respondeat? Insinuat hoc Concilium Trident. sess. 6. cap. 16. cum ait: *Cum enim ille ipse Christus Iesus tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem insuat, qua virtus bonorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent, nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quò minus plene illis quidem operibus, qua in Deo sunt facta, diuina legi pro huius vita statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur; cum Christus Saluator noster dicat: Si quis biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Vbi per virtutem quam Dominus insluit, intelligit non auxilium præueniens, aut gratiam congruam excitantem, vt quidam volunt, sed donum gratiæ habitualis, cui coniunctus est adoptionis spiritus. Quia auxilium præueniens, non est vna aliqua continuata virtus, nec iugiter infunditur, nec opus est vt singulos actus præueniat aut comitetur; nec singulos subsequitur, nec est necessarium vt opera sint meritoria. denique illud non est *fons aquæ salientis in vitam æternam.* Hæc tamen omnia optimè conueniunt in gratiam habitua-<sup>Ioan. 4.</sup>lem, quam Dominus iugiter insluit, sicut solius ter lumen in aërem effundit, ob assiduam ex meritis & potentia Christi dependentiam.

Itaque dignitas nostrorum operum prouenit ab hac gratia, non quæ præcisè est res creata, sed quæ spiritum Christi nobis communicat & connectit. Videns enim Deus spiritum & Filij sui in nobis, delectatur obsequiis nostris, eaquæ magni æstimat, tamquam perfecta



fecta à filiis suis adoptiuis per spiritum adoptionis: sicut Rex longè pluris æstimat obsequium filij adoptiui (cui tamen suum spiritum communicare non potest) quàm famuli vel extranei, & maiore præmio dignum censet, idque tantummodò ex eo quòd illum iam acceptarit in filium. Cuius ratio videtur esse, quòd quòd persona est excellentior vel charior, eò pluris æstimandum sit eius obsequium: quia per illud ipsa cum tota sua dignitate & amabili bonitate se illi subiicit, & in eius cultum ac honorem impendit. Vilitas autem personæ multum detrahit operis æstimationi: similiter si parum sit grata ei cui defert obsequium. Itaque cum esse filium Dei, eiusque oræditum esse spiritu, tribuat homini summam excellentiam, faciaturque Deo charissimum, fit vt opera eius & obsequia in Deum maximi æstimentur, & condigna censeantur vitæ æternæ remuneratione.

## CAPVT XII.

*De beneficio Thesauri perpetui meritorum Christi.*

*Septimum  
beneficium,  
Thesaurus  
meritorum.*

*Magnitudo  
huius benefi-  
cij.*

**S**EPTIMUM beneficium est *Thesaurus perpetuus* & inexhaustus <sup>81</sup> reconciliationis. Filius enim Dei ita negotium nostrum cum diuina iustitia composuit, vt non tantum semel nobis peccatorum fieret remissio, nec semel dumtaxat restitueretur adoptio, & ius vitæ æternæ amissum; sed centies, imò millies, vel potius infinities, nempe quotiescumque contingeret relabi, & per veram pœnitentiam ad ipsum conuerti. quæ certè misericordia prorsus est inaudita & inæstimabilis. Quis vniquam Princeps ita fuit clemens aut misericors, vt paratus esset subito ignoscere crimina læsæ Maiestatis, vel aliàs capitalia, quotiescumque illa quis committeret, & veniam postularet? Vix enim reperias qui bis terte vni eidemque in huiusmodi noxas relapso indulserit. Imò neque vniquam parens in filium ad eò fuit indulgens, vt semper in gratiam reciperet, quoties post noua scelera in ipsum patrata veniam peteret. At Deus non solum semel indulsit, legem naturæ relaxans, & peccatum mortiferum natura sua incondonabile efficiens remissibile, & quodam modo veniale; sed etiam paratus est id millies facere: nec solum est paratus remittere, sed etiam thesaurum infinitum meritorum & satisfactionum construxit, vnde copia nobis suppeteret exhibendi æquiualens noxæ, & omnem iniuriam sarcienti.

Hic



Hic est *fontis patens domus Iacob in ablutionem peccatoris & menstrua* Zachar. 13.  
*ta*: hic est pretiosissimus thesaurus, ex quo nobis omnes diuitiæ  
 spirituales & æterna hauriuntur; hic est omnium bonorum inex-  
 haustus oceanus. sine hoc nihil actum erat. Etsi enim vna remis-  
 sio vnaque adoptio infinitæ sit æstimationis, parum tamen nobis  
 profuisset, si semel tantum vel bis potuisset nobis obtingere, adeo  
 inconstans, infirma, & ad malum prona est voluntas nostra. Si an-  
 gelis semel peccantibus, vel semel oblata fuisset facultas reconci-  
 liationis; infinite id æstimassent, & infinito beneficio se putassent  
 affectos. quanti nobis æstimandum erit, quibus sine fine peccan-  
 tibus, sine fine, sine numero, sine limitatione offertur remissio, &  
 constituitur thesaurus, vnde satisfaciamus tot debitis tam im-  
 mensis & infinitis? Ratione huius thesauri Christus dicitur *in-*  
*terpellare pro nobis, & esse noster advocatus apud Patrem.* non semel Rom. 8.  
 aut bis vel decies aut centies, sed semper & assidue: quia totum 1. Ioan. 2.  
 eius meritum semper est in conspectu Patris & totius Trinitatis,  
 semper nobis misericordiam & gratiam flagitans. manet enim  
 Christus apud Patrem in eadem benignissima erga nos mente, in  
 qua fuit in hac vita, cupiens nobis sua merita secundum ordinem  
 diuinæ prouidentia prodesse. De hac interpellatione loquitur  
 Apostolus ad Rom. 8. cum ait *Christum Iesum qui est ad dextram* Quomodo  
*Patris interpellare pro nobis.* & ad Hebr. 7. *Semper uiuens ad interpel-* Christus in-  
*landum pro nobis.* & S. Ioannes Epist. 1. cap. 2. *Si quis peccauerit, aduo-* terpellat pro  
*catum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum.* loquuntur Chim nobis.  
 de interpellatione & aduocatione illa in qua omnem fiduciam  
 collocare debemus, quæ fit per merita & preces quas fecit in vita Non inter-  
 mortali, quæ semper manent in conspectu & acceptatione Dei: pellat per  
 non autem per nouas aliquas preces quas offerat in celo. In his nouas preces.  
 enim fiduciam collocare, non possumus, cum de illis nihil constet.  
 Facibus autem precibus ei opus non esse vt huic vel illi venia aut  
 aliquod peculiare beneficium gratiæ præstetur, aut vt Sacrificium  
 nostrum effectum habeat, ex eo constare potest, quod ipsi post  
 resurrectionem *data sit omnis potestas in celo & in terra:* ac proinde Matth. 28.  
 maximè in iis quæ ad salutem hominum pertinent, quos ipse suo  
 Sanguine sibi acquisierat. Itaque ipse per se sua ordinaria potestate  
 omnia illa præstare potest, neget oratione: Sancti quia per se  
 non possunt omnia, egent oratione vt nobis impetrent, vnde eos ro-  
 gamus vt pro nobis orent, scientes non alia ratione posse nobis pro-  
 desse: Christum autem nefas est rogare vt pro nobis oret, quasi ora-  
 tione

M m tione



tione opus habeat sicut Sancti: sed rogandus ut misereatur, ut veniam, gratiam, & perseverantiam donet. Accedit, quod cum esset in vita mortali & statu merendi, omnia illi in particulari præuisa, non solum omnes homines nascitur, sed etiam omnia illorum opera, omnes occasiones & circumstantiæ rerum quibus aliquod gratiæ beneficium erat conferendum; vnde in particulari poterat tunc mereri & petere ut sic omnia illa beneficia conferrentur. id autem re ipsa fecisse ex eo colligimus, quia hoc est longè perfectius & accommodatius completæ redemptioni, quàm si modò opus esset illi novis precibus apud Patrem.

Forro *semper interpellat*, quia eius merita non possunt exhausti, nec plene unquam cõpensari, cum sint infinitæ æstimationis. Merita Sanctorum non sic interpellant pro nobis, quia pro nobis non valent ex condigno, sed solum pro ipsis, quibus iam plene sunt compensata, excepta gloriâ Resurrectione, respectu cuius possunt dici interpellare. Vnde ut Sancti pro aliis impetrent, opus est nova prece, quam Deus intuitu meritorum priorum, & maxime meritorum Christi (sine quibus non habent preces illæ sufficientem dignitatem pro aliis) exaudit. Christus enim meruit ut preces quæ pro aliis factæ non sunt condignæ ad obtinendû bonum quod petitur, à Deo exaudiantur. Ad hanc interpellationem (humano more rem concipiendo) multum facit quòd Christus sit apud Patrem, & quòd semper vivat, non amplius moriturus. Vnde Scriptura has duas circumstantias notat. plus enim potest qui præsens est Regi, & in summa auctoritate, quàm qui absens, vel minoris dignitatis: & præsentia sui corporis in quo vestigia Vulnerum remanent, memoriam excitat eorum quæ gessit & perpassus est, & tacita ipsa specie petit mercedem. Similiter maior ratio haberi solet viuorum quàm mortuorum, & in viuo perseverare potest pristinus amor & benigna affectio iuandi. Hanc rem bene tractavit Gabriel Vasquez in 3. par. disput. 82.

*Facilitas  
hauriendi  
ex thesauro  
Christi.*

Ad cumulum huius effusissimæ misericordiæ accedit summa facilitas, qua hic thesaurus nobis applicatur & communicatur. Et si enim longo labore, aspera pœnitentia, & multis cruciatibus corporis opus foret, nihil esset recusandum, nihil detrectandum; sed summis votis amplectendum. quidlibet, ad tantum bonum obtinendum. Poruisset quidem, & merito, diuina bonitas multas & diuturnas à nobis asperitates exigere, sed præ nimia dulcedinis suæ abundantia noluit, verùm sola à nobis peccatorum displicentia cum







mediatè ex Christi merito per Sacramenta summa facilitate consequimur, quorum singula infinita sunt æstimationis, vt ex iis quæ supra dicta sunt, satis constat.

*Benignum Dei consilium in Sacramentis instituentis.*  
Admiranda prorsus in hac re est diuina misericordia. Si enim ad huius thesauri applicationem & communionem, perfectam contritionem vel dilectionem Dei exegisset, sicut in veteri Testamento, pauci sanè Deo reconciliati & salui effecti fuissent: paucorum enim est ista tam perfecta animi comparatio, vtpote egens multo lumine, multa gratia excitante, multoque conatu natura. Itaque vt via salutis omnibus pateret facilisque esset, & nemo asperitate remedij detereretur; rudi & imperfecta animi dispositione contentus, thesaurum istum externis quibusdam ritibus, quorum vsus cuilibet facilis sit & expeditus, inclusit; aded vt nemo sit qui non facile Deo reconciliari, & apertam salutem æternam, quam diu est in hac vita mortali, recuperare possit; nec quidquam excusationis possimus prætere, si à salute exciderimus.

*Dist. imen noue Legis & veteris.*  
Atque in hoc maximè sita est nouæ Legis præstantia & discrimen à Lege veteri. Etsi enim Lex noua præstet veteri, notitiæ perfectione, quod in ea per Christi doctrinam sit clarior & distinctior rerum diuinarum, Messia, & ceterorum ad salutem pertinentium cognitio, quàm fuerit in veteri; tamen hæc non est primaria eius commendatio. Nulla enim notitia, nulla fides, quantumuis magna, vi sua à peccatis liberare potest. Principalis itaq; nouæ Legis dignitas in eo sita est, quod vim habeat delendi peccati, & reconciliandi Deo, restituendæque adoptionis & dignitatis amissæ, qua vi caruit Lex vetus. Hanc autem vim habet, quatenus continet Sacramenta, præscribitque illas caerimonias & ritus externos, quibus thesaurus meritorum Christi est inclusus, nobisque applicatur & communicatur. Sanè nulla alia apparet ratio, qua Lex noua gratiam conferat, præter istam. Tolle Sacramentorum usum, noua Lex non magis habet vim iustificandi quàm vetus: loquor de Lege externa, non de spiritu dilectionis, quem interdum D. Augustinus nouam Legem vocat. verum & hic Spiritus per Sacramenta confertur. Præcipuum itaque Legis nouæ beneficium in Sacramentorum ratione, quibus thesaurus ille diuinus meritorum Christi inclusus nobis communicatur, situm est. Vnde etiam diabolus hoc probe sciens, tanto studio per suos ministros hæreticos Sacramenta nititur euertere & exterminare.

In Lege veteri nulla erat externa caerimonia, qua Christi satisfactio



atio & meritum applicaretur, quia nondum erat reipsa exhibitum, sed solum promissum. Itaque sola fide & spe apprehendi poterat, quorum actuum interuentu, accedente simul contritione, applicabatur ad iustificationem; vel potius Deus, intuitu solutionis & satisfactionis per Christum exhibendæ, dispensatoricè & ex benignitate peccata condonabat, & iustitiam impertiebat. Cum enim natura rerum postularet, ut prius exhiberetur satisfactio pro culpa & iniuria in Deum commissa, quàm peccator reciperetur in gratiam; Deus contraria ratione usus, in hac natura lege dispensauit; & propter satisfactionem Christi futuris temporibus exhibendam, peccatores fide & spe ipsum apprehendentes sibi reconciliauit; prius impertiens præmium, quàm oblatum esset meritum; prius condonans culpam, quàm rogata pro nobis esset venia; & prius laxans captiuum, quàm exhibitum aut promissum esset lytron. Itaque cum merita Christi nondum essent reipsa, non poterant ita donari, & per externa elementa applicari, nec homines per illa digni fieri reconciliatione, sicut in nouo Testamento, quando reipsa sunt præstita, & in acceptatione diuina, veluti pecunia numerata & representata in arario Principis, manent reposita.

*Cur Lex veteris non iustificauerit.*

*Quomodo veteres iustificati.*

90 Dices: Merita Christi sunt infiniti valoris; ergo si illa nobis donantur, debetur nobis infinitum præmium, vel saltem omnibus æquale, & æqualis omnium erit dignitas apud Deum, qui Sacramentorum sunt participes. Respondeo, Id non sequi; quia etiam si nobis illa merita tota donentur, non tamen ita, ut totam vim suam in nobis exerant, sed secundum certam mensuram diuinitus præscriptam, & iuxta dispositionem cuiusque. Quidquid enim recipitur in aliquo, iuxta suscipientis dispositionem & capacitatem recipitur. Sicut etiam Spiritus sanctus donatur omnibus qui iustificantur, & illum habendo efficiuntur filij Dei, non tamen omnes æquè sunt sancti; quia etiam si totum singuli habeant, non tamen æquali modo, sed alij perfectiùs, alij minus perfectè. Sic etiam omnes Beati totum Deum videant, non tamen omnes æquè sunt beati; quia non æquè perfectè illum vident. Sic etiam in rebus humanis eadem res perfectiùs & pleniùs haberi ac possideri potest, vel minus plene, iuxta modum & mensuram à donante præscriptam, & donatarij capacitatem. Simili ergo modo Christi meritum perfectiori vel minus perfectò modo applicari, communicari, & haberi potest, et si totum singulis communicetur.

*Obiectio.*

*An meritum Christi habeat in nobis effectum infinitum.*

91 Itaque quamuis infinitum sit, potest tamen non infinite com-



*Meritum  
Christi ad  
duos effectus  
communicatur,  
& quod  
discrimine.*

municari. Communicatur autem ad duos potissimum effectus, ad remissionem peccatorum, & ad adoptionem filiorum. Ad priorem effectum communicatur quodammodo infinite & absque mensura: nam ita nobis datur, ut eius communione efficiamur digni remissione omnium peccatorum, etiam infinitorum, si infinita à nobis commissa forent. Satisfacimus enim per illud pro omnibus peccatis, saltem quoad culpam & poenam aeternam: pro poena tamen temporali non semper; vnde quoad hanc est limitatio in applicatione: sed id provenit ex insufficientia & imperfectione nostrae dispositionis, non ex circumscriptione aut defectu virtutis meriti Christi Sacramento annexi.

Ad posteriorem non ita applicatur ut efficiamur Deo infinite grati, & digni infinito quodam adoptionis gradu, sed secundum certum modum diuinitus limitatum, & prout dispositio maior vel minor in nobis fuerit. Itaque meritum Christi, ut satisfactio, habet effectum in nobis quodammodo infinitum, quia respondet infinitis peccatis, illa ex aequo compensans & excedens: ut verò est meritum bonorum supernaturalium, habet effectum magis limitatum. Cum enim haec communicatio meritorum non physice (sicut in Christo) sed moraliter fiat per imputationem & acceptationem; tota pendet in suis effectibus ex ordinatione sapientiae diuinæ, Sacramenta sic vel sic instituentis, & merita Christi diuersis modis annectentis. Continent quidem omnia Sacramenta meritum Christi infinitum, sed illud applicant ad maiorem vel minorem effectum, pro ratione dispositionis: quamuis ea quae perfectiora & digniora sunt, ceteris paribus, ad eandem dispositionem maiorem gratiae effectum conferant.

## CAPVT XIII.

*De venerabili Eucharistiae beneficio, ut est Sacrificium:  
& quomodo peragatur.*

*Octauum beneficium,  
Eucharistia.*

OCTAVVM opus diuinæ misericordiae est *sacratissima Eucharistia mysterium*. Hoc beneficium est prorsus admirabile, & maxime declarat immensam Dei in nos benignitatem & misericordiae abyssum, non minus quam beneficium Incarnationis. Occuluit enim seipsum totum, corpus, sanguinem, animam cum omnibus donis & gratiis caelestibus, cumque tota Diuinitate sua modo



do incomprehensibili sub speciebus panis & vini, nobisque hoc totum donavit tum in *in*ge sacrificium, tum in quotidianum *ali-*mentum immortalitatis. Suam Diuinitatem antea nostræ naturæ copulauerat, in hac se nobis focium, Doctorem, Ducem, Redemptorem, pretium seu lytron præstiterat; se ad omne genus contumeliarum, dolorum, acerbiorum, ad flagella, spata, blasphemias, crucem & mortem tradiderat; se totum in nostram salutem impenderat & expenderat; sed hæc omnia illius amoris & misericordiae visceribus satis non fuere, nisi alio adhuc nouo, stupendo, omnibusque sæculis inaudito modo se totum nobis in Eucharistia relinqueret: ut quamuis visibilem præsentiam suæ humanitatis transferret in cælum, eandem tamen nobis inuisibili modo, realiter tamen & substantialiter, relinqueret in terra, ut semper nobiscum in hac mortali vita & in nobis esse, nos solari, & spiritum suum in nos transfundere assidue posset. O infinitum bonitatis & misericordiae pelagus! ô incomprehensibile pietatis mysterium! quæ mens vel Angelica tale aliquid vel ab infinita bonitate expectare potuisset?

*Eucharistia  
data in Sa-  
crificium, &  
in Amentu.*

93 Reliquit seipsum in Sacrificium, omnibus aliis sacrificiis & hostiis abolitis. Cum enim hæc hostia sit infinitæ dignitatis, & Deo infinite grata, & omnium aliorum sacrificiorum perfectionem & vim eminentissime contineat, non decebat alia sacrificia in noua Lege cum illa copulari. Itaque vnus huius Sacrificij perfectione, ut S. Leo ait, omnes aliarum hostiarum differentias impleuit. Sed breuiter hic explicandum, in qua actione hoc Sacrificium consistat,

*Reliquit se  
Sacrificium.*

*Serm. 8. De  
Passione.*

94 & quomodo peragatur. Quidam putant, hoc Sacrificium consistere in oblatione illa verbali, quæ fit post consecrationem his verbis: *Vnde & memores Domine, nos, serui tui, sed & plebs tua sancta tam beatæ passionis, &c. offerimus præclara maiestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, &c. per consecrationem verè non fieri oblationem, sed hostiam constitui in altari. Vnde illorum sententiâ ita se habet consecratio ad hoc Sacrificium, sicut Incarnatio ad sacrificium crucis. Sicut enim Incarnatio non erat sacrificatio, sed per eam fiebat hostia, quæ postea in cruce erat offerenda: ita per consecrationem fieri hostiam, quæ statim in Missa illis verbis consecrationem sequentibus offeratur. Sed hæc sententiâ non videtur S. Scripturæ & sanctis Patribus consentanea: iisdem enim verbis & eadem actione nunc debet fieri oblatio, quibus facta est à Domino, ut apertè colligitur ex illis verbis, *Hoc facite in meam**

*In qua actio-  
ne consistat  
Sacrificium.*

*com-*



*commemorationem.* Illis enim præcipit suum Corpus & Sanguinem offerri eo modo quo ipse obtulerat, vt docet Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. atqui ipse obtulerat sola consecratione: nam statim post consecrationem subiunxit illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem.* nec vsus erat illa verbali oblatione: ergo nec modò pertinet illa ad substantiam oblationis, seu Sacrificij, sed solum illis verbis indicatur quid ipsa consecratione fiat: sicut si Sacerdos in veteri Testamento, iugulato agno dixisset: Offerimus tibi Domine hunc agnum. Confirmatur: Quia per illam actionem fit sacrificium, per quam fit representatio sacrificij crucis (nam ideo institutum est hoc sacrificium, vt per illud sacrificium crucis representaretur, vt aperte docet Concil. illo cap. 1.) atqui representatio sacrificij crucis fit per consecrationem qua Corpus & Sanguis seorsim constituuntur, non per illam verbalem oblationem: ergo, &c. Idè aperte docet Gregorius Nyssenus Oratione prima De Christi resurrectione: *Cum Corpus suum discipulis congregatis edendum, & Sanguinem bibendum præbuit: tunc aperte declarauit agni sacrificij iam esse perfectum.* Rationè adfert: *Quia victima corpus non est idoneum, si animatum sit. quare cum Corpus edendum & Sanguine bibendum dedit, iam victima arcano & inuisibili modo erat immolata.* Idem docet Irenæus lib. 4. Contra hæres. c. 32. Gregor. Magnus lib. 4. Dial. c. 18. Auctor Sermonis De Cœna Domini, sub nomine Cypriani, & alij multi.

Itaque non videtur dubitandum, quin hoc Sacrificium consistat in consecratione. Verùm, qua ratione consecratio habeat rationem sacrificij, non ita facile est explicatu. Duobus modis ad concipi potest. Primo, Vt consecratio censetur actio sacrificandi, quatenus per eam mutatur & conuertitur substantia panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi. quem modum explicuimus lib. 2. De iustitia cap. 38. dub. 2. Secundo, quatenus per Christum mystico quodam modo occiditur, dum per modum hostiæ occisæ seorsim vi verborum Corpus & Sanguis in altari exhibentur. & hic modus est facilius intellectu, magisque respondet ordinario sacrificandi modo, qui supponit hostiam, non producit.

Iuxta hunc modum, peragitur hoc Sacrificium non malleo vel gladio materiali, vt olim vetera sacrificia; sed gladio verbj Dei, qui est omnipotens. Sicut enim olim fiebat sacrificium, quando gladio occidebatur hostia, nempe agnus, vel vitulus, & sanguis separabatur à carne: ita nunc fit Sacrificium, quando vi verborum consecrationis, Corpus & Sanguis Christi ponuntur seorsim

tam

Duobus modis concipi potest Sacrificium consistere in consecratione.

Verba consecrationis sunt instar gladij quo hostia immolatur.



tamquam rei occisæ & immolatæ, Corpus sub specie panis, & Sanguis sub specie vini. Vnde verba consecrationis sunt instar gladij; Corpus Christi, quod nunc est in cælo viuum, est instar hostiæ viuæ & immolandæ; Corpus vt positum sub specie panis, & Sanguis sub specie vini se habent vt corpus & sanguis agni nunc immolati. Vnde se habent vt terminus immolationis seu actionis sacrificandi.

96 Hinc species panis & vini non habent se vt pars hostiæ viuæ vel immolatæ; non enim illæ offeruntur Deo per actionem sacrificandi: sed sunt quiddam necessarium ex parte termini immolationis, nimirum vt corpus & sanguis hostiæ possint ex vi verborum separatum poni, tamquam partes hostiæ immolatæ. Hæc tamen species pertinent ad rationem Sacramenti Eucharistiæ, quod constat specie externa visibili, & interna substantia Corporis & Sanguinis Christi ibi inuisibiliter latente. De ratione enim Sacramenti est, vt sit res vel cærimonia per se sensibilis, habens vim sanctificandi suscipientem: de ratione verò hostiæ non est vt per se sensibilis sit, quia Deo offertur, cui nihil occultum; sed sufficit vt per aliud cui subest, nobis sensibilis fiat, vt sciamus ibi eam latere, & possimus eam contrectare. Pari modo extrinseca est huic hostiæ & sacrificij substantia panis & vini: quia hæc non offeruntur Deo instar hostiæ, sed vt materia hostiæ, vel sacrificij, non permanens, sed transiens, vel potius vt sub illis speciebus hostia per immolationem seu actum sacrificandi constituatur. Vnde nec ipsa conuersio substantiæ panis & vini, qua parte continet designationem ipsarum, ad essentiam huius sacrificij pertinet: quia posset fieri sacrificium, etiam si substantia panis & vini maneret; si Deus ita instituisset. Tunc tamen non fieret iisdem planè verbis quibus modò. manente enim substantia panis, falsum esset, *Hoc est Corpus meum*, sed dicendum esset: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus*, id est, sub pane & vino. qua institutione posita, ex vi verborum ponerentur ibi Corpus & Sanguis seorsim tamquam partes hostiæ occisæ & immolatæ: & ita esset idem sacrificium quod modò. Conuenientius tamen fuit ita institui, vt substantia panis & vini desineret esse, & in eorum locum succederet Corpus & Sanguis Christi, ne alia aliqua substantia sebus tam diuinis quasi misceretur, & simul sub illis speciebus existeret. Idem quoque necessarium fuit, vt per istas species aptè & propriè possent designari. Si enim substantia panis & vini maneret, non rectè diceretur: *Hoc est Corpus Christi*: vel, *Hoc est Sanguis*

*Species panis & vini non sunt pars hostiæ.*

*Pertinent tamen ad rationem Sacramenti.*

*Substantia panis & vini non pertinet ad rationem hostiæ vel sacrificij.*



quis Christi. Nam externæ illæ species propriè solùm designarent substantiam panis & vini, cuius sunt naturalia accidentia & signa; non autem Corpus & Sanguinem Christi, quæ solùm ibi laterent sub panis & vini substantia; sicut anima sub substantia carnis, vel sicut dæmon in homine quem possidet.

*Esi hic sufficiens mutatio ad rationem Sacrificij representatiui.*

Nec obstat veritati huius Sacrificij, quòd non fiat reipsa separatio sanguinis à carne: quia id est quasi per accidens, propter concomitantiam partium. Nam quantum est ex vi verborum fit vera separatio, & sub specie panis solum ponitur Corpus, non Sanguis: sub specie vini, solus Sanguis, non Corpus. Et hoc sufficit ad rationem huius Sacrificij: tum vt sit verum Sacrificium (fit enim circa hostiam, dum sic ponitur, sufficiens mutatio, qua protestemur Deum habere supremam in omnia potestatem; ) tum vt sit Sacrificium commemoratiuum, repræsentans nobis sacrificium crucis & mortem Domini. Qui plura hac de re desiderat, legat Gabrielem Vasquez in 3. part. disp. 222.

## CAPVT XIV.

*Ad quid datum sit nobis hoc Sacrificium, & quantum vim habeat.*

*Primò, Concessum ad dignitatem Religionis.*

*Excellentia Religionis Christiana in septem rebus sita.*

DATVM est autem hoc Sacrificium potissimùm ad quatuor. 98  
Primò, Ad dignitatem Religionis Christianæ. Cum enim hæc Religio sit eminentissima, deuit etiam illam ornari, vel potius perfici eminentissimo Sacrificio.

Consistit excellentia Religionis Christianæ potissimùm in septem rebus. Primò, In *sublimitate & certitudine doctrine*. Tradit enim certissima & eminentissima de natura diuina, de personarum processionibus, de prouidentia, iustitia, misericordia Dei, de mundi creatione & gubernatione, de finibus bonorum & malorum, de recta salutis via: quæ omnia Philosophis & aliis religionibus fuerè prorsus incognita, vel incerta & ambigua. Secundò, In *perfectiōe & sanctitate Legis*. Vetat enim Lex Christiana omne vitium quantumuis paruum, quantumuis à Philosophis pro non vitio habitum; & dirigit ad summam perfectionem, vt ad contemptum rerum caducarum, ad studium æternorum, ad amorem Dei, ad dilectionem inimicorum, ad reddendum pro malo bonum, ad ponendam vitam pro honore Dei, pro salute proximi, & quouis virtutis



virtutis officio. Vtrumque insinuat Propheta Psalm. 18. *Lex Domini immaculata, conuertens animas. Immaculata*, quia nullum omnino peccatum permittit, sed omnia omnino prohibet. *Conuertens animas*, quia omnis conuersio incipit à diuinæ Legis consideratione, & ad eam terminatur. Philosophi & aliæ religiones multa vitia & peccata vel ignorarunt, vel tamquam licita permiserunt.

99 Tertiò, In *præstantia & efficacia Sacramentorum*. Habent enim vim delendi peccati, & constituendi nos filios Dei, heredesque æterni regni. Nulla vniquam religio cærimoniam aliquam habuit, quæ animos expiare, & cælestibus bonis ornare posset.

99 Quarto, In *excellencia Sacerdotij*. Nam Sacerdotium nostræ Religionis continet duplicem potestatem prorsus diuinam, ac etiam cælestibus spiritibus stupendam; nimirum, potestatem condonandi peccata, & consecrandæ Eucharistiæ, vt omittam aliorum Sacramentorum ministerium. Quanta res est, posse condonare peccata, liberare à morte æterna, sanctificare animas, efficere filios Dei, & tribuere ius vitæ æternæ? Quis hæc possit, nisi Deus ipse, vel diuina auctoritate præditus, cui Deus suum locum, suas vices, & suum veluti tribunal supremum concesserit? Magna potestas est posse illuminare cæcos, erigere claudos, excitare mortuos: sed longè maior potestas est posse illuminare animas, easque intus ita immutare, vt deiformes, & planè similes Diuinitati efficiantur, expulsa peccati caligine & morte. Potestas consecrandi etiam magis est stupenda, & meritò cum potestate creandi conferri, eique æquiparari potest, vt infra patebit. Nulla itaque dignitas, nulla potestas siue Regia, siue Imperatoria, nec ipsa quidem totius mundi Monarchia cum Sacerdotali potestate & dignitate vlla ex parte conferri potest.

Quintò, In *excellencia Sacrificij*. Sacrificium enim est primarium Religionis munus, vel potiùs complementum. Itaque decebat vt excellentissima Religio, qua nulla alia perfectior aut sublimior esse potest (quæ quidem naturæ humanæ sit accommodata) nobilissimum haberet Sacrificium, quale est Sacrificium Eucharistiæ, à quo ipsa Religio præcipuam suam excellentiam habet.

Sextò, In *perpetua assistentia & gubernatione diuini Spiritus*, quo ita regitur & protegitur Ecclesia, vt neque in dogmatibus neque in legibus possit errare, aut vniquam deficere & extingui, iuxta illud Matthæi 16. *Porte inferi non proualebunt aduersus eam.* & Matthæi 28. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.*

Septimò, Quod omnia bona opera iustorum faciat esse merito-



via vita aeterna. Ita statuit Dominus mera sua benignitate & liberalitate, potuisset enim aliter ordinare, nimirum, ut non essent meritoria, sed solum satisfactoria; vel ut sola excellentissima essent meritoria. Totum enim negotium meritorum & praeiorum, gratia & gloria, sicut & remissionis peccatorum, non oritur ex naturis rerum earumque iusta proportione, aut lege naturae (etsi huic aliquo modo consonum sit) sed ex libera, benigna, & liberali ordinatione Dei. Haec obiter de excellentia nostrae Religionis, quam potissimum illustrat hoc Sacrificium.

Secundo,  
concessum  
Sacrificium  
Ad gratiarum  
actionem.

Secundo datum est hoc Sacrificium Ad gratiarum actionem, ut habeamus quo dignas Deo gratias perpetuo agamus pro ingentibus ipsius in nos beneficiis, maxime redemptionis. Tanta enim beneficiorum eius immensitas, tam insolitae & inaudita omnibus saeculis miserationes, singularem quoque & inauditam gratiarum actionem a nobis postulabant. At nulla poterat esse maior aut praestantior gratiarum actio, quam quae oblatione huius Sacrificij perficitur: partim quia nihil praestantius aut gratius pro omnibus beneficiis acceptis offerri Deo poterat, iuxta illud Psal. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo*: partim quia nulla alia re magnitudinem beneficiorum eius magis commemorare ac referre poteramus. Testamur enim ipsum esse auctorem redemptionis & salutis nostrae, ipsum misisse Filium in carnem ad nos saluandos, & bonis omnibus cumulandos; ipsius voluntate pro nobis mortem suscepisse: ipsam quoque mortem Filij in eo Sacrificio commemoramus, & veluti ob oculos ponimus, dum Corpus & Sanguis seorsum sub specie panis & vini, tamquam hostiae occisae & immolatae, vi consecrationis constituitur: iuxta illud Domini mandatum, *Hoc facite in meam commemorationem*, hoc est, ut Apostolus 1. Corinth. 11. explicat, in commemorationem meae mortis & sacrificij erugis. Hac ratione istud Sacrificium vocatur *Eucharisticum sacrificium*, id est laudis & gratiarum actionis, & respondet holocaustis veteris Legis. c

Tertio, Ad  
impetrandum  
auxilium  
gratia.

Tertio, Ad impetrandum *auxilium gratiae divinae*, protectionis, 101  
excitationis, directionis (hoc enim triplex auxilium est necessarium ad perseverandum) & alia tum temporalia tum spiritalia beneficia ad salutem opportuna, ut ad pacem, victoriam, frugum abundantiam, sanitatem, negotiorum felicem exitum, & similia. Ad haec enim omnia a Deo obtinenda, maximam vim habet istud Sacrificium,



cium, sed maxime ad auxilium diuinæ gratiæ, quia per se & directe ad salutem tendit. Alia non sunt absolute petenda, sed solum quatenus ipse nouit ea nobis fore ad salutem conducibilia. Hæc omnia tum ex sacro Canone Missæ, tum ex aliis Ecclesiæ precibus sunt manifesta. hæc ratione hoc Sacrificium respondet hostiis pacificis veteris Legis.

102 *Quartò*, Ad *ueniam peccatorum impetrandam* tum uiuis tum defunctis, & ad iram diuinam placandam, flagellaque mundo impendentia auertenda; qua ratione est *Sacrificium hilasticum*, seu propitiatorium, & respondet hostiæ pro peccato. Remissa culpa & pœna æterna per Sacramenta, & etiam culpis venialibus delictis, sæpè ingens debitum pœnæ temporalis restat luendum. Ad hoc in primis ualeat istud Sacrificium: applicat enim satisfactionem Christi, qua debitum illud soluatur & compensetur. Vnde non requirit ullam realem in eo pro quo offertur mutationem: nam condonatio pœnæ absque ulla hominis mutatione, postquam uoluntas à culpa recessit, commodè fieri potest. Non enim fit per infusionem donorum, aut aliquam internam hominis renouationem, ut remissio culpæ, saltem mortiferæ, & fortè etiam uenialis; sed per nudam condonationem extrinsecam, exhibita per aliquem pro reo congrua solutione. Delet etiam culpam, non tamen immediatè & sine mutatione peccatoris, sicut delet reatum pœnæ; sed mediante contritione ad quam per hoc Sacrificium impetratur auxilium excitans, ut docet Concilium Trident. sess. 22. c. p. 2. *Huius*, inquit, *oblatione placatus Dominus, gratiam (excitantem) & donum penitentia concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. vna enim eademq; est hostia, &c.* Hoc modo per istud Sacrificium fit remissio culpæ, non aliter: quia ad remissionem culpæ opus est pœnitentia.

*Quartò, Ad ueniam obtinendam.*

*Quintò*, Habet etiam vim flagellatæ temporalia, quæ peccatis hominum prouocantur, amoliendi, & ut ita dixerim, auerruncandi. Si enim id precibus Sanctorum sæpè obtineri potest, quantò magis hoc Sacrificium, in quo id quod præ omnibus Sanctis Deo est acceptum, & ipse fons sanctitatis cum omnibus suis meritis offertur: Si vnica huius hostiæ oblatione Deus mundo perditus est reconciliatus, & flagellum æternæ damnationis illi impendens, amotum; mirum non est, si ob eandem hostiam sæpius oblatam, mundo iam reconciliato sæpè parcat, & flagella temporalia, quæ in multorum perniciem cederent, vel omnino condonet, vel temperet, vel suspendat ac differat.

*Quintò, Ad flagella auertenda.*



Sextò denique, valet ad succurrendum aliis vitæ humanæ necessitatibus, vt docet Concil. Trid. suprâ: & constat tum ex vsu Ecclesiæ, tum exemplis variis.

*Fructus Sacrificij laicis sumè patet.*

Quàm verò late pateat huius Sacrificij fructus, vel ex eo intelligi potest, quòd offeratur pro tota Ecclesia militante, & pro omnibus fidelibus defunctis. Nam in oblatione panis ita dicitur: *Suscipe sancte Pater, omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam tibi offero pro omnibus fidelibus Christianis viuis & defunctis, vt mihi & illis proficiat ad salutem in vitam æternam.* vbi per *immaculatam hostiam* non intelligitur panis: quia panis non est immaculatus eâ puritate quæ Deo placeat: neque dici potest hostia, quæ rem viuam designat: sed intelligitur Corpus Christi, quod statim ex pane fiet. Itaque tantæ est virtutis hæc hostia oblata, vt omnibus prodesse possit. Et in oblatione calicis: *offerimus tibi Domine calicem salutaris, tuam deprecans clementiam, vt in conspectu diuinæ maiestatis tuæ pro nostra & totius mundi salute ascendat.* Et in prima Oratione Canonis dicitur offerri pro *Ecclesia Catholica, & omnibus Orthodoxis*, item pro *omnibus Sacrificio presentibus*. Et in secunda Oratione post consecrationem, pro *omnibus in Christo quiescentibus*.

*Non solum orationes, sed ipsum Sacrificium fit pro Ecclesia.*

Ex quibus manifestum videtur, non solum orationes pro Ecclesia, pro viuis & defunctis, & pro assistentibus Sacrificio fieri in Missa, sed etiam ipsum Sacrificium offerri pro iisdem, & fructum qui ex vi Sacrificij quasi ex opere operato prouenit, ipsis communicari: ac proinde hunc fructum amplissimum esse, & latissimè patere. Quod etiam colligi potest ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. vbi dicit, *fructus oblationis cruentæ, quæ peracta est in cruce, vberimè per hanc oblationem percipi.* At quomodo vberimè percipiuntur isti fructus, si totus fructus quem vi sua habet, restringitur ad eum pro quo peculiariter offertur? Sacramenta instituta sunt ad sanctificandos singulos per realem & externam applicationem singulis factam: at hoc Sacrificium, cum vnicum sit & publicum Ecclesiæ Sacrificium, principaliter institutum est pro bono communi, & ipsa Ecclesia, cui applicatur ordinatione & præscripto Ecclesiæ in Liturgia expresso, cui Sacerdos se debet accommodare. Vnde in Canone dicitur: *In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica*; quasi bonum Ecclesiæ principaliter in hoc Sacrificio intendatur. Deinde recensentur à Sacerdote illi, pro quibus ipse peculiariter intendit offerre. Quòd si, quando Sacrificium pro aliquo priuatim

*Sacramenta instituta, pro singulis, Sacrificium pro bono communi.*



uatim offertur, nullus fructus istius oblationis, quem vi sua habet, perueniret ad Ecclesiam, vel defunctos, vel circumstantes, sed solus fructus precum; valde angustus esset huius Sacrificij fructus, & parum commodi ex eo Ecclesia & defuncti perciperent. Tenetur itaque Sacerdos, accommodando se intentioni Ecclesiae, etiam pro bono Ecclesiae & defunctorum ipsum Sacrificium offerre, eiusque fructum, quem habet vi sua, & quasi ex opere operato, iuxta intentionem Ecclesiae ipsius applicare. Non tamen hinc sequitur, hac ratione futurum, vt nihil remaneat fructus, quod possit applicare huic vel illi, pro quo peculiari intentione offert: quia non ita potest applicari ab homine Ecclesiae vel defunctis, vt nihil superfit; quia etiam pro priuatis viuorum necessitatibus est institutum, ita vt si illis peculiariter applicetur, etiam peculiari modo proficit. Simili modo non ita potest applicari priuatis, vt nullus fructus remaneat qui possit applicari Ecclesiae vel defunctis: fructus enim Sacrificij tam amplius est, vt omnibus istis possit prodesse, & ita à Deo distributus, determinatus & taxatus pro causis tum communibus tum priuatis, habita ratione dispositionis personarum & communitatum pro quibus offertur, vt Sacerdos sua intentione non possit mutare, vel totum in vnum confundere. Etsi enim ex ipsius intentione pendeat, vt pro his vel illis fiat oblatio, tamen non pendet ex ipsius intentione determinatio fructus, quem quisque debet percipere. Alioquin vno Sacrificio posset quamuis animam liberare: imò, inquit Gabriel Vasquez ex Antonio de Corduba, totum Purgatorium euacuare.

Vasquez in  
3. p. disp. 131  
n. 50.

Habet quodam modo vim infinitam.

104 Hinc colligunt multi DD. hoc Sacrificium vim habere quodam modo infinitam, quia non est determinatum ad certum numerum personarum. Siue enim loquamur de viuis in Ecclesia, siue de defunctis, siue de absentibus Sacrificio; non minus quisque particeps est fructus illius dum plures sunt, quam cum pauciores; nec plus ad singulos peruenit cum pauciores sunt, quam cum plures. Nisi enim ita res se haberet, non recte Ecclesia prescriberet pro istis omnibus offerri: neque consultum esset inter de Sacro, vbi plurimi conueniunt; sed potius quisque deberet curare vt intersit vbi paucissimi, vel nulli, vt totum fructum circumstantibus deputatum habeat: quae tamen aliena sunt ab vsu Ecclesiae. Itaque quando generatim offertur pro aliqua multitudine, valde credibile, non minus fructus ex vi huius Sacrificij peruenire ad singulos, siue pauci sint in ea multitudine, siue multi. Idem non improbabiler sentiunt

tiant



tiunt idem Doctores de illis pro quibus non generatim, sed peculiari intentione offertur (qui modus offerendi est efficacior pro singulari, quam modus offerendi in genere; quia fit perfectior applicatio, & petitur ut singulari modo ipsis præ restituis profit.) Singulos enim, etiam si plures sint, verbi gratia tres, quatuor, vel quinque, non minus fructus ex vi Sacrificij percepturos, quam si pro ipsis solis oblatum fuisset. Ita Vasquez supra, & Caiet. in 3. p. q. 79. a. 5. vbi dicit, idem docere S. Thomam, quia docet, hoc Sacrificium ex se sufficere ad delendam qualemcumque pœnam peccatis debitam: tamen singulis prodesse secundum propriam dispositionem. Eandem doctrinam tradit Caiet. tom. 2. Opusculorum, tractat. 3. q. 2. Eandem tenent Antonius de Corduba, Ruardus Tapper, & multi recentiores, ut refert Vasquez. Illi autem pro quibus hoc modo offertur, singuli percipiunt fructum ex vi Sacrificij secundum propriam dispositionem. Optima autem dispositio est status gratia cum peculiari deuotione & cooperatione ad hoc Sacrificium.

*Ne possit plura  
stipendia  
idcirco perci-  
pi.*

Hinc tamen non sequitur, posse Sacerdotem plura stipendia pro vno Sacrificio accipere: quia qui pro se curat Sacrificium offerri, totum fructum expectat, quem Sacerdos per Sacrificium conferre potest, iuxta receptum in Ecclesia morem: ac proinde non solum expectat fructum quem habet Sacrificium per se, sed etiam quem habet ex deuotione offerentis, & ipsa actione liturgica, qui fructus in plures distributus minuitur. Addo, quando Sacerdos pro aliquo, vel certa aliqua causa offerre tenetur, non debet sequi opiniones incertas, sed meliori modo quo potest, salua Ecclesie ordinatione, fructum Sacrificij applicare. Qui plura desiderat, consulat Auctores, qui ex professo hæc tractant. non enim mei instituti est hæc minutè persequi.

## CAPVT XV.

De venerabili Eucharistia, ut est alimentum  
& Sacramentum.

NON solum in Sacrificium seipsum Dominus nobis in Eucharistia reliquit, sed etiam in alimentum; non quod nos in nostram mutaremus substantiam mortalem, sicut alimenta terrena, & sicut manna, quod datum Israëlitis in deserto (cum ipse sit immutabilis) sed quod nos in se quodammodo conuerteret, & ad suam



suam traheret qualitatem, immortalitatis donum communicando. Sicut enim potentissimum aliquod medicamentum intus assumptum à natura vinci nequit, sed eam victam & domitam sibi assimilat, suas ei proprietates impertiens: ita Corpus Domini in Eucharistiæ mysterio à nobis intro assumptum, non potest à nostra natura mutari, sed sua vi corpora nostra immutat, suas ei proprietates, immortalitatem, claritatem, subtilitatem, & agilitatem inferens. Quod ut Dominus nobis inculcaret, sæpius Ioan. 6. repetit, cum qui *manducat hunc panem, non moriturum, sed victurum in æternum*. Et si enim videatur hominibus mori, tamen ea ratio moriendi non tam mors quàm sompnus & quies est dicenda, cum ad breue tempus, imò ad modicum, & ad momentum sit duratura, & iusti mox velut è somno sint ad æternam lucem & vitam excitandi. Vnde passim in Scripturis vocatur dormitio, requies, somnus. & Dominus Isaïæ 26. *Vade popule meus, intra in cubicula tua, [sepulchra] claudere ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranscat indignatio, illud enim modicum ad æternitatem collatum pro nihilo computatur.*

*Eo efficiuntur  
immortales.*

*Mors iustorum  
somnia  
breuis.*

107 Sed inquiet aliquis: Hoc immortalitatis & impatibilitatis donum etiam illorum iustorum corporibus communicabitur, qui Corporis Christi per Eucharistiam participes non fuere, ut sunt omnes Sancti veteris Testamenti. Respondeo, ita esse, sed duplici iure nobis illud donum competet, illis simplici. Nostra corpora immortalia erunt, tum ratione animæ beatæ, quæ tale corpus est promerita, tum ratione admisionis Corporis Christi corporibus nostris, quod vim habet ijs, quibus commiscetur, immortalitatem impertiendi: imprimis enim illis sanctitatem, & veluti vim quamdam, quæ semen est immortalitatis. vim moralem, non physicam intellige. At illorum corpora id solum ratione sanctitatis animæ obtinebunt.

*Obiectio.*

*Quomodo  
immortalitas  
communicatur  
corporibus  
iustorum.*

108 Neque solum ad immortalitatem impertiendam corporibus, sed etiam ad spiritum Christi in nos transfundendum, hoc alimentum datum est, & hic est primarius eius finis & fructus. Cum enim caro Christi, quæ illo continetur, non sit nuda caro, sed Diuinitati, quæ est spiritus Christi, vnita: qui hoc alimentum sumit, eo ipso fit particeps spiritus Christi & Diuinitatis. Nam ut Dominus Ioannis 6. ait, *Spiritus est qui viuificat, caro autem non prodest quidquam: id est, caro per se & vi sua non potest vitam æternam conferre, sed id facit vi spiritus seu Diuinitatis coniunctæ: sicut ferrum per se*

*Spiritum  
Christi con-  
trahimus.*

O o non



non potest accendere lignum, sed vi ignis qui ferro est intimè unitus. Sic per hoc alimentum Christus caput nostrum communicat nobis suum spiritum suamque vitam, colligens omnes in vnum corpus & in vnam veluti hypostasim perfectam & completam; omnesque illi inserimur, & veluti incorporamur, sicut partes alimenti conuenienter intus applicitæ per meatus naturæ, incorporantur nobis, vnaque sunt hypostasis nobiscum, cum spiritus noster ad informandas & viuificandas illas se extendit. Vnde Apostolus 1. Corinth. 10. *Vnus panis & vnum corpus sumus omnes, qui de vno pane participamus. Vnus panis*; quia ille panis non à comedentibus in illorum substantiam conuertitur (sicut fit in pane tereno & corruptibili); sed contrà, potius ipsos comedentes in seipsum conuertit, & vnum secum efficit, suas proprietates, suamque formam illis communicans. Mirum sanè consilium Dei! vt nos ad se attraheret, sui que spiritus & vitæ efficeret participes, in vno naturæ nostræ indiuiduo vnitur carni humanæ hypostaticis; deinde hanc carnem speciebus panis & vini conuestitam dat nobis in alimentum; & per illud alimentum nobis coniunctum & commixtum, spiritum & Diuinitatem suam ei alimento connexam in nos transfundit, vt hoc modo nos omnes sanctificet, & ad suam vnitatem & vitam redigat. Nullus modus suauior, effigacior, admirabilior aut sapientior poterat excogitari.

*Consilium Dei  
mirabile.*

### C A P V T X V I.

#### *De miraculis quæ concurrunt in venerabili Eucharistia Sacramento.*

**A**D magnitudinem beneficij pertinet non solum res ipsa quæ datur, sed etiam modus dandi, seu miracula stupenda, omnem naturæ vim & consuetum rerum cûsum excedentia, quæ in eo dando concurrunt. Nam & hoc ipsum ineffabilis est misericordiæ, quod tale beneficium conferat, quod sine maximis miraculis conferri non poterat: quantum enim fieri potest, Deus causis vtitur iam constitutis, & ad miracula quasi inuitus descendit. Sunt autem in hoc mysterio tot & tanta miracula, vt merito stupendum supra omnia miraculum dici possit. Præcipua horum duodecim numerari possunt; quorum duo spectantur circa substantiam panis & vini,

*Miracula  
huius benefi-  
cij duodecim.*



vini, duo circa species, sex circa Corpus Domini & connexa, duo circa consecrantem.

Circa substantiam panis & vini primum miraculum est, quod hæc substantiæ vi consecrationis funditus pereant, & veluti annihilentur: quamuis non solemus dicere eas annihilari, eò quod hæc desitio ex intentione diuinæ non sistat in nihilo, sed dirigatur ad positionem Corporis Christi: verum hoc ad modum loquendi spectat, nam quod ad rem attinet, nihil omnino substantiæ panis manet, non forma, non materia, non existentia, non gradus aliquis, sed totum ita funditus perit, ac si prorsus in nihilum redactum esset, nullo positio succedente. Nam quod aliud succedat, non est ex vi illius desitionis (hæc enim solum tendit per se ad nihilum & non-esse) sed alterius actionis coniunctæ, qua ponitur Corpus Christi. Fit autem hæc desitio per se primò & intrinsecè non actione aliqua positiva, (ea enim haberet terminum intrinsecum positium, non negatiuum,) sed subtractione influxus diuini, quo illa substantia in sua entitate & specie, secundum materiã & formam conseruabatur. Illo enim substantifico influxu subtracto & veluti cohibito, necesse est rem in nihilum relabi. Sic mundus in pristinum suum nihilum & tenebras æternas, vnde per creationem est educus, recideret, si Deus vim suam cohiberet, actionem qua illi dat esse, abrumpendo, & radios influxus sui substantifici veluti retrahendo. Quomodo autem panis dicatur conuerti in Corpus Christi, infra explicabitur.

*Circa substantiam panis & vini. Primum, Desitio.*

110 Secundum miraculum est, eiusdem materiæ, corruptis speciebus, reproductio & restitutio. Constat enim speciebus sacramentalibus hominem nutriri corporaliter, & ex illis vermiculos gigni posse, & omnia ea confici, quæ præsentem substantiam panis & vini confici ex illis possent. Quod non ita intelligas, quasi species illæ per se subsistentes vicem materiæ substantialis in huiusmodi rebus præstare possint. Primò, Quia species accidentariæ non sunt capaces formæ substantialis recipiendæ, aut vnionis substantialis cum tali forma subeundæ. Secundò, Quia res ex illis genitæ non essent eiusdem substantiæ atque aliæ similes, vtpote carentes altera parte substantiali, videlicet vera materia; & vermiculus ex illis procreatus non esset physicus vermiculus vt alij, sed potius (vt ita dixerim) mathematicus. sed cum mutatio & corruptio specierum eò processit, vt substantia panis & vini cum ea amplius consistere non posset, & rem aliam gigni ex illis oporteret; eo ipso momento re-

*Secundum, Restitutio materia.*

*Species non præstant vicem materia in generatione.*



stituitur pristina materia, quæ & dispositiones illas hætenus sine subiecto existentes subiectiue recipiat ac sustentet, & formam substantialem, quæ eodem puncto temporis vi dispositionum, aut formæ gignentis, aut causæ vniuersalis elicitur, excipiat, & vnâ cum illa substantiam (verbi gratia vermiculum) constituat; perinde ac si materia panis numquam subducta fuisset. Ita enim hæc omnia occultè & dextrè sapientia & omnipotentia Christi geruntur, vt nullis iudiciis externis deprehendi possit, quidquam vel antè defuisse, vel nunc de nouo substitutum; idque tum propter maius fidei meritum, tum ne cursus rerum naturalis, vt actio, passio, ortus, interitus interciperetur. Dicimus eamdem potius materiam restitui quæ primò desierat, quàm aliam substitui; quia id conuenientius est, partim ne mundus exhauriatur, aut vlla parte minuatur primæua sua materia (ea enim condita est, vt æternum perseueret, modico illo tempore, quod instar nihili est, dispensatorie excepto;) partim quia hæc reproductio magis congruit reproductiõni & positioni Corporis Christi; vt sicut in hoc mysterio datur reproductio eius quod iam erat, & numquam desierat, ita etiam detur reproductio eius quod non erat, sed antè fuerat. Denique hoc est mirabilius, magisque consentaneum diuinæ sapientiæ & potentia, quæ sua admiranda in hoc mysterio peculiariter demonstrare voluit. Hæc duo supradicta miracula adeò sunt exotica, & à naturali causarum ordine remota, vt numquam similia extra hoc mysterium sint facta, numquam etiam facienda.

*Circa species.* Circa species prius miraculum est, quod species illæ per se nulli subiecto innixæ consistant. Hoc autem tripliciter intelligi potest. *Primo, Per se existere.* Primò, Vt Deus illis accidentibus nouum esse, vel idem esse quod antè habuerunt, nouo modo veluti per replicationem seu reproductiõnem restituat. Sed hic modus non est necessarius: nulla enim hic opus replicatione seu collatione eiusdem esse, aut actione productiua, quæ ad entitatem illorum accidentium intrinsecè terminetur, quia illorum esse nullo modo desit, sed solum modum suum mutauit, inexistentiã amittens: sicut nec in mysterio incarnationis, cum humanitas Christi vnitur Verbo, ei que inexistere incipit, opus est vlla reproductiõne ipsius esse humanæ naturæ, vt quidam imaginantur, quod ex sequentibus clarius fiet.

Secundò, Vt conseruato eodem esse eademque entitate absque vlla reproductiõne, Deus nouo quodam influxu det illis accidentibus, subtracto subiecto, nouum modum positium quo per se  
exi-



existant, quiq̄ue modo inhærentiæ repugnet; sicut hypostatica ratio in substantiis ponitur modus positivus repugnans inexistentiæ, qua inexistant alieno supposito. Sed neque hæc ratio necessaria aut vera videtur. Vt enim forma aliqua à subiecto auulsa per se existat, non est opus v̄ habeat aliquem modum inhærentiæ repugnantem, seu qui contrario modo existentiam illius formæ modifieret. sufficit enim vt illa forma, seu esse ipsius, absque modo inhærentiæ conseruetur. Cùm enim inhærentia accidentis sit modus quidam existentia & entitatis rei natura posterior, potest accidens in sua entitate suaq̄ue existentia absque illo modo diuinitus conseruari, ita vt nullus alius modus positivus repugnans modo inexistentiæ, ei superaddatur. Vnde cùm dicitur accidens per se existere, illud *per se*, præter entitatem accidentis solum denotat negationem inexistentiæ, non autem modum aliquem positivum inhærentiæ repugnantem. Deinde iste modus nihil iuuaret ipsum accidens ad existendum, cùm sit posterior existentia, illam non fulciens, sed illi potius innitens; vnde potius iuuatur & pendet ab existentia accidentis, vt ipse modus illius, quàm existentia ab illo. Confirmatur; Quia neque effectiue iuuat, cùm in illam intrinsece non influat, vt per se constat; nec formaliter, cùm sit posterior existentia accidentis.

*Non esse opus  
modo positi-  
uo per se ex-  
istendi.*

Tertius modus, qui semper mihi placuit, est, Vt Deus tantummodò continuat influxum illum intimum, quo entitatem illius accidentis conseruabat. Eo enim continuato & non abrupto, permanebit accidens in suo esse, suaq̄ue specie & existentia, etiam si subiectum subtrahatur, & modus inexistentiæ pereat. Ratio est, Quia entitas accidentis est natura prior isto modo inhærentiæ seu vnionis cum subiecto: sicut in substantiis entitas est prior natura quàm sit modus ille existendi per se; ipsa enim entitas secundum se est indifferens & capax vtriusque modi: potest enim entitas accidentis habere modum vnionis cum subiecto vel separationis, & substantia potest habere modum per se existendi, vel existendi in alia hypostasi, vt patet in mysterio incarnationis. Atqui id quod est prius natura, non pendet intrinsece ab eo quod est posterius, sed solum vt habeat suum naturalem modum existendi. ergo sine illo conseruari potest, sola influxus prioris continuatione.

*Verus modus  
existendi per  
se accidentis  
explicatur.*

Confirmatur Primò: Quia ita se habet modus inhærentiæ ad entitatem accidentis, sicut modus existendi per se ad entitatem



substantiæ. atqui sublato modo existendi per se, entitas substantiæ conseruari potest sola, continuatione prioris influxus, ut docet Suarez in Metaphys. disput. 15. sect. 9. & idem docet de anima rationali sublatis potentiis, & de materia, sublata omni forma. Ergo similiter entitas accidentis conseruari poterit sublato subiecto, & modo illo inhærentiæ.

Confirmatur Secundo: Quia subiectum quæ tale, nullum habet influxum effectiuum in accidens, sed solum illud in se suscipit, eoque imbuitur & penetratur: solus autem Deus totum influxum conseruatiuum confert. Vnde subiectum non iuuat intrinsecè & essentialiter ad conseruationem ipsius esse accidentis, sed solum est causa modi existendi, nempe inexistentiæ, cum sine subiecto modum hunc habere nequeat, ut qui intrinsecam unionem cum subiecto dicat. Subiectum igitur requiritur, ut accidens naturalem suum existendi modum habeat, qui est inhærenter; non autem ut absolute existat: nullum enim accidens est propter se, seu ut per se existat, sed ut aliud afficiat, ornet, & perficiat. itaque ex natura sua postulat inesse tamquam naturalem proprietatem. Addo, numquam expelli accidens à subiecto, numquam interire, nisi Deo concursum suum conseruatiuum subtrahente; qui si eum subtrahere nollet, sed continuare, nulla vis creata illud accidens exterminare posset. Vnde nec maximus ignis posset guttam aquæ frigidæ calefacere, Deo influxum suum, quo frigus illud intinè conseruatur, continuaante & prosequente. Hæc intellige de accidente quod re ipsa à subiecto tamquam res à re, & non solum ut modus à re distinguitur, & de subiecto qua parte solum subiectiue recipit. Nam si etiam effectiue ad productionem & conseruationem accidentis concurrat, hic concursus à Deo per nouum influxum suppleri debet, ut illud accidens sine subiecto existere possit. Videri potest Scotus in 4. Sentent. d. 12. q. 1. Verum hæc res exactius à nobis discussa in Tractatu De summo bono Lib. 3. cap. 4.

Secundo, Re-  
cipere im-  
pressiones ex-  
ternas.

Alterum miraculum circa species est, quod ita passiones & impressiones aliarum qualitatuum recipiant, perinde ac si panis & vini substantia subesset, & illæ species non per se sed in substantia vel materia panis & vini existerent. Calefcunt enim species & frigeant, arefcunt & mucescunt, similesque mutationes subeunt. Quomodo autem id fiat, duplex est sententia. Quidam putant, quantitatem esse immediatum subiectum qualitatuum sensibilium & ceterorum accidentium; itaque omnes illas mutationes & im-  
pres-



pressiones fieri in quantitate, vt in subiecto proximo, ac proinde in hoc mysterio hanc solam per se existere. Sed hæc sententia est difficilis. Nam vt omittam, multis non videri certum an detur talis quantitas, hæc sententia solam quantitatem ponit in materia prima, tamquam immediato suo subiecto, qualitates solùm mediatè, quatenus insunt quantitati, quod difficile est creditu. Quid enim quantitatibus indoli cum illis qualitatibus? Non enim quantitas habet vllam propensionem ad calorem, frigus, odorem, saporem & similia: neque ipsa dicitur calefcere aut frigeferre, bene vel malè olere, sed hæc omnia sunt affectiones materiae. Confirmatur: Quia dispositiones ad formam substantialem, quarum vim hinc educi dicitur è potentia materiae, debent esse immediatè in materia, eamque afficere & veluti tangere. alioquin quomodo vim suam in eam exerent? quomodo illam formam aptabunt, & capacem facient?

Itaque mihi semper verius visum, non solam quantitatem, sed etiam illas qualitates hic per se existere, nullique subiecto inniti, ac proinde calorem & frigus & similes impressiones extrinsecus immittas non recipi in specibus tamquam in subiecto proprie, sed potius velut commistile in commiscibili, aut sicut penetrans in penetrabili. Ita enim illis penetratiue commiscentur, & mutuo nexu implicatur, ac si in eodem communi subiecto reciperentur. Quam sententiam non solùm omnes Nominales sequuntur, qui non distinguunt quantitatem à re quanta, sed etiam noster Petrus Hurto in egregio Opere Philosophico Physicæ disput. 6. §. 51. & sequentibus.

113 Dices: Ergo ignis calefaciens species, creat in illis calorem per se subsistentem. Respondeo, id improprie dici creationem; quia ille calor ex natura sua non est forma per se subsistens, sed id habet præ se, vel supra naturam: alioquin etiam species dicentur creari, cum per se existere incipiunt. Creatio proprie solùm est earum rerum, quæ natura sua tales sunt vt per se existant, vt sunt materia prima, caelestia corpora, & substantiæ spirituales, inter quæ anima rationalis. Horum productio solùm proprie est creatio ex nihilo; & vim infinitam in producente requirit. Quod si quis productionem accidentis independentem à subiecto, velit vocare creationem, nihil incommodi admittere quod infertur: quia id non facit naturalimodo operando, qui postulat subiectum; sed supernaturali, hoc est supra naturæ leges. Addo, non requiri maiorem vim aut efficacitatem in agente creato ad producendam formam accidentariam.

*Obiectio.*

*An calor ibi creetur.*



tariam sic existentem, quàm ad producendam illam in subiecto. Omnis enim vis quæ est sufficiens ad producendam formam in subiecto, est etiam sufficiens ad illam producendam extra subiectum, si Deus concursum suum utrobique æquè offerat & exhibeat. Ratio est, quia nihil positivum est in forma, dum extra subiectum existit, quod superet vim suæ causæ; itaq; ab illa poterit produci quantum est ex vi causæ. Quòd autem non possit reipsa extra hoc mysterium, inde est, quòd Deus non offerat alibi suum concursum, nisi applicato patiente, in quo forma illa modo sibi connaturali possit recipi & existere. alioquin si concursum præberet, etiam in vacuo & ignis suum calorem, & sol suum lumen diffunderet. quia tamen est supra naturæ leges & ordinem, concursum sic præbere; idcirco & operatio causæ creatæ sic operantis & effectus conferetur supernaturalis non substantiâ, sed modo. Porro in hoc mysterio Deus causis naturalibus, ut in has species agere possint, perinde suum concursum exhibet, ac si proprium & naturale subiectum susceptivum sibi applicatum haberent: idque ne extrinsecis signis mysterium hoc possit deprehendi, ad maius fidei meritum. Vtrumque etiam prædictorum miraculorum extra hoc mysterium nunquam est factum, & credibile nunquam futurum, ut huic mysterio sit peculiare. Plura hac de re diximus Tractatu De summo bono lib. 3. cap. 4.

*Circa Corpus Domini.* Circa *Corpus Domini* & illud comitantia, quæ speciebus occurrunt; primum miraculû est, Positio illa & constitutio Corporis & Sanguinis Christi in cælo existentis & permanentis, sub speciebus panis & vini; ita ut non minus verè, realiter ac substantialiter hic sit quàm in cælo. Certissima fide & firmissimè ita tenendum.

*Primò, Positio Corporis Christi.* Concil. Trid. sess. 13. can. 1. Magna quæstio est, quomodo id fiat. Sed mirum non est, mysteria diuina ingeniis humanis antecellere; generali tamen quodam ratione id potest utcumque intelligi. Quidam putant, id fieri actione *adductiua* tantummodò, qua Christus Corpori suo in cælis existenti, & *ibi* cæleste retinenti, conferat nouum *vbi*, nempe sub speciebus panis, ratione cuius dicatur Corpus illud adductum huc absq; actione vlla productiua illius. Sed parum placet hæc sententia. Primò, quia videtur contradictionem inuoluere, nec illa ratione posse mente concipi. Quomodo enim istud *vbi* potest Corpori Christi conferri sub speciebus panis, nisi Corpus hoc prius natura adducatur, & illis applicetur, fiatque indistans? prius enim est, corpus esse indistans loco, quàm ipsum accipere aliquem respectum vel

*Quomodo id fiat.*

*Non actione adductiua.*



vel positivam habitudinem ad locum. Modus enim qui fit circa rem, supponit rei presentiam: sicut animo concipi nequit, formam accipere unionem cum materia, nisi prius concipiatur ut presentis seu indistans materiae. Confirmatur Primò: Quia istud *vbi* non potest transferri in caelum, ut inde adducat Corpus Christi; sicut unio cum materia non potest transferri ad formam procul distantem, nec fieri aut creari extra materiam: ergo ipsum Corpus Christi prius debet adduci ad locum, in quo istud *vbi* residet (praesertim cum ratio ipsius *vbi* sit immobilis) ac proinde non adducitur Corpus Christi per collationem ipsius *vbi*. Confirmatur Secundò: Quia *vbi* per se non confertur vi aliqua causae efficientis, sed sponte & necessario resultat ex presentia rei. unde prius requiritur presentia Corporis Christi ad species. Per quam ergo actionem fit primò presentis speciebus? Non per collationem *vbi*, ut dictum est: neque per motum localem, ut supponimus; quia Christi Corpus suum locum & suum *vbi* quod habet in caelis, non deserit. ergo per aliquam actionem substantialem, quae ad substantiam Corporis Christi terminetur.

115 Dices, Istud *vbi* cum sit supernaturale, & tribuat Corpori Christi esse sub speciebus, non produci per resultantiam naturalem; sed per peculiarem actionem diuinam. Verum sit ita, nihil id refert ad argumenti vim elidendam: nam actio diuina circa corpus ali-quod non minus supponit presentiam corporis in illo spatio in quo ipsa fit, quam naturalis resultantia. ergo prius natura Corpus Christi debet concipi presentis huic spatio quam operatio diuina intelligatur in illo producere istud *vbi* vel quemuis alium modum, qui natura sit posterior ipsa Corporis substantia. Si prius natura debet concipi presentis; ergo per aliquam Dei operationem iam factum est presentis speciebus prius natura quam in eo poneretur istud *vbi*: quae operatio non potest esse alia quam productiua substantiae corporis illius.

Confirmatur: Quia omnis actio seu operatio Dei in consecratione huius mysterij fit sub speciebus, non in caelo, aut alibi extra species, ut ex ipsis verbis colligitur: ibi enim est totus terminus illius operationis. atqui tota operatio quae fit sub speciebus circa Corpus Domini, ponendo in eo aliquem modum, supponit necessario & essentialiter presentiam Corporis sub speciebus: presentia enim omnis actionis vel passionis vel modi cuiuslibet, supponit tanquam prius natura presentiam rei quae modificatur, vel circa



quam versatur actio, aut recipitur passio. Itaque cum tota illa actio quæ sit sub speciebus, versetur circa Corpus Domini, supponit necessarium eius præsentiam. Oportet ergo ponere aliam operationem seu actionem qua factum est corpus istud præsens seu indistans speciebus: nam per illam actionem qua productum est in illo istud *ubi* positivum, non potuit fieri præsens, cum illa actio & terminus eius intrinsecus sit natura posterior illius præsentia.

Idem argumentum fieri potest de modo existendi illius Corporis: nam per consecrationem Corpori Christi non solum datur novum *ubi*, sed etiam novus modus existendi inuisibiliter & indivisibiliter instar rei spiritualis, qui est intrinsecus ipsi substantiæ corporis & naturæ posterior: quia substantia corporis secundum se est indifferens ad hunc modum existendi, & ad modum suum naturalem, capax utriusque. Hic autem modus producitur sub speciebus, non extra; & ipsa productio est sub speciebus. ibi enim est actio, ubi terminus eius intrinsecus. Si hæc productio est sub speciebus, ergo iam prius natura ipsa Corporis Christi substantia debet esse sub speciebus seu indistans ab illis, ut in ea possit recipi operatio per quam producitur in ea iste modus existendi. Ergo necessarium ponenda est alia actio prior qua ipsa substantia Corporis Christi posita sit præsens speciebus. sicut si Deus substantiam solis, quæ in cælo est sub forma globosa & valde magna, vellet ponere in anulo sub figura quadrata valde parva, per operationem quæ fiat in ipso anulo, necessarium deberet substantiam solis prius natura poni præsens anulo, ut ibi possit talem figuram accipere.

Neque dici potest, actionem illam, qua substantia Corporis Christi facta est præsens speciebus, esse adductivam seu productivam solius *ubi*, quia prius natura est, corpus esse præsens seu indistans speciebus, quam in illo producti possit sub speciebus aliquid *ubi*, vel alium modum, ut ostensum est.

Atque patet, siue consideremus productionem istius *ubi*, siue productionem istius modi existendi spiritualiter sub speciebus, semper supponi prius naturam vel rationem præsentiam substantiæ Corporis Christi sub speciebus: ac proinde ponendam esse aliam actionem priorem, qua ipsa substantia Corporis Christi sit facta præsens speciebus: quæ non potest fingi alia quam productiva; quæ nimirum idem esse substantiale quod habet in cælo, conferatur eidem cum alio modo existendi sub speciebus: hæc enim actio non supponit ibi præsentiam substantiæ Corporis Christi; sicut omnis alia actio



actio producens in illa substantia aliquem modum qui sit natura posterior, sed illam facit.

117 Secundò, Non placet illa sententia: quia Fide tenendum est, *Corpus Christi in hoc Sacramento verè, realiter, ac substantialiter contineri*, sicut definitum est in Concilio Trident. sess. 13. can. 1. Vnde sequitur, illud in Sacramento tam verum, solidum ac integrum esse substantiale habere quàm in cælo. Si ita est, ergo per diuinam potentiam poterit conseruari sub Sacramento, etiamsi desineret esse in cælo: sicut reipsa nunc manet sub modo suo existendi naturali in cælo, etiamsi omnino desinat vt est in Sacramento. At quo modo potest conseruari in Sacramento dum desinit in cælo, si non habet esse virtute duplex, sed solum nouum *vbi* quo sit in Sacramento? quomodo substantia Corporis Christi potest conseruari in Sacramento, nisi per nouum & substantificum influxum ibi fuerit positum, qui influxus possit continuari, etiamsi desineret ille qui est in cælo?

Dices, Non posse diuina virtute conseruari in Sacramento, si ponatur desinere in cælo, eò quòd intrinsecam & essentialem dependentiam à se ipso habeat vt est in cælo. Verùm, non puto id dici posse, quia sic in Sacramento non haberet esse solidum & absolutum, sed solum respectiuum & diminutum, sicut imago vel figura. Vnde Auctores illius sententiæ non audent id dicere, sed admittunt, in illo casu posse conseruari in Sacramento, ita vt si postea desinat esse vt est in Sacramento, desitutum sit per veram annihilationem: modò autem non esse annihilationem, eò quòd maneat substantia eadem in cælo. qua in re planè incidunt in sententiam nostram, & recedunt à suis principiis.

118 Tertio, Si solum fiat adductio Corporis Christi per collationem *Transsub-* noui *vbi*, non erit hinc verè & propriè dicta *transsubstantiatio*, sed *stantiatio.* adductio localis: vt si vinum in vas aqua plenum immittatur, aquæ substantia ad vini infusionem desinente, non erit conuersio substantialis aut transsubstantiatio aquæ in vinum, etiamsi vini substantia sub accidentibus aquæ ponatur. quare nequè hinc erit transsubstantiatio, cum Christi Corpore species subeunte, ad eius introitum substantia panis desinat, quia non satis est terminum à quo desinere, sed necesse terminum *ad quem* simili modo incipere, scilicet quoad substantiam, vt in omnibus aliis substantialibus conuersionibus patet. vt cum succus terræ vertitur in herbam, cum



Constat dua-  
bus muta-  
tionibus.

fanguis in carnem, cum virga Moysis in serpentem, cum serpens in virgam, cum vxor Lot in salis statuam. Conuersio enim & omnis mutatio speciem habet à termino ad quem per se & intrinsecè tendit. Idem declarari potest exemplo proximè adducto. Quod vt melius intelligatur, notandum est, *transsubstantiationem*, & omnem conuersionem duabus simplicibus mutationibus constare: quarum altera est definitio termini *à quo*, qui dicitur conuerti in aliud; altera est positio termini *ad quem*, in quem fit conuersio. vtramque autem debere esse substantialem, si conuersio fit substantialis: nam ex mutatione substantiali & accidentaria non potest componi vna conuersio substantialis, idque in omnibus aliis conuersionibus substantialibus cernitur. Denique debet esse talis positio termini *ad quem*, vt ex vi illius terminus *à quo* desinat. Debent enim hi termini esse incompossibiles, & sibi mutuo succedere, vel in eodem subiecto siue materia, vt cum fit solùm conuersio secundùm formas substantiales; vel sub iisdem accidentibus, vt cum tota substantia rei mutatur in totam sicut in hoc mysterio. Si enim nihil maneret idem sub vtroque termino in quo fiat terminorum successio, non esset conuersio, sed vnus definitio, alterius inceptio. Vnde necesse est vt alter alterum ab eo expellat. Et quamuis fortè hoc posterius (nimirum vt ex vi positionis termini *ad quem* desinat terminus *à quo*, substantia panis) possit habere locum in inductione illa, non tamen illud prius, (vt constet duabus mutationibus substantialibus) & ita non poterit dici propriè transsubstantiatio, aut conuersio substantialis. vide Suarez Tomo 3, disputat. 50.

Verior sen-  
tentia.  
Replicatio  
eiusdem esse.

Verius igitur mihi semper visum, Christi Corpus poni sub speciebus per actionem productiuam, quam replicationem, vel re-  
productionem, vel collationem eiusdem esse substantialis appella-  
re possumus, per quam idem esse quod habet in cælo, confertur  
& quodammodo reproducitur sub speciebus, etsi cum alio essen-  
di modo.

Deum id  
posse.

Quòd autem Deo istud sit possibile, dubitari non potest. Si enim quod perit, Deus restituere potest, & idem omnino repro-  
ducere; cur non possit secundò producere id quod mansit? Non enim existentia rei impedit quò minus rem illam secundò, & ter-  
tiò, & decies, & centies, & millies alibi producere queat, idem esse & eandem existentiam conferendo. Cur enim exhausta sit po-  
tentia ad eam producendam, quia eandem semel produxit? Imò  
proba-



probabile est, idem numero à causa naturali produci posse, si omnes eadem circumstantiæ, quæ illam ad huius individui procreationem determinarunt, concurrant; vt insignes D D. tradunt.

Sed quia naturaliter est impossibile, vt omnes eadem circumstantiæ quæ prius rem determinarunt, secundò concurrant, fieri etiam vi & lege naturali nequit, vt idem numero secundò producat. Verùm Deus ab istis circumstantiis non pendet, sed pro suo arbitrio determinat id quod ipsi est producendum; itaque quotiescumque libet, potest idem vel alibi, vel in eodem loco, sub eodem vel diuerso efficiendi modo producere. Vnde sequitur, ex vno homine efficere posse întegrum exercitum. Sicut enim in ipsius sapientia & omnipotentia sunt infinita diuersa numero, cuiuslibet speciei: ita in eadem sapientia & potentia latet quodlibet indiuiduum infinitis, potestque ipse cuiuslibet indiuidui infinitas, vt ita dicam, proferre replicationes; vt suprâ Libro v. c. 2. De omnipotentia dictum est. Et quamuis res hoc modo replicata in seipsa, actu sit vna eademque, virtute tamen est multiplex. Nam multis æquipollet, & locorum spatiis, & operatione, & etiam inceptione & desitione. Implet enim loca distantia, & quodammodo à seipsa distat; non absolute, sed vt ad diuersa loca est determinata. potest etiam diuersa in diuersis locis, atque etiam contraria operari, atque adedò tantum efficere, quantum res numero diuersæ. Denique ex inceptione vel desitione in vno loco, non sequitur inceptio vel desitio in altero: neque si iuxta vnam replicationem desinat esse, necesse est etiam desinere secundum alteram. Vnde posita huiusmodi replicatione, fieri potest vt vna eademque res hoc loco caleseat, illo frigescat; hoc ascendat, illo descendat; hoc desinat & moriatur, illo incipiat & nascatur. qua de nouissime benè scripsit P. Aegidius Coninck in erudito Opere de Sacramentis, quæst. 75. art. 4. dub. 3.

120 Hæc sententia posita, quæ potentiæ diuinæ negari non potest, <sup>Consecratio</sup> facile concipi potest, <sup>quadam.</sup> Primò, Quomodo in hoc mysterio sit vera transsubstantiatio, & substantiæ panis in substantiam Corporis Christi vera mutatio, & substantialis conuersio: quia substantificatione ita producitur hæc Corpus Christi, vt ex vi illius productionis oporteat desinere substantiam panis. Producitur enim vt sit ibi per modum substantiæ, non quouis modo, sed cum immediato ordine ad illa accidentia, tamquam illis proximè subiecta, absque tamen inhæsiōne, vt verè dici possit, Hoc est Corpus Christi,

Pp 3 sti,



sti, non panis terrenus: hoc est Sanguis, Christi, non vinum corruptibile. Dico, *ex vi illius productionis desinere*, non vi physica præcisè, quasi illa productio per se causet non esse substantiæ panis, sed vt subest intentioni producentis, qui tali modo intendit Corpus Christi ibi collocare. Ex eo enim quod vult ibi Corpus Christi collocare cum tali ordine ad accidentia, vt solum ipsum, non aliud per illa sensibile & designabile sit, necesse fuit desinere substantiam panis: quia hoc modo esse panis, & esse Corporis Christi, sub illis speciebus sunt termini repugnantes. Simili modo dum aqua conuersa est in vinum in hydriis, productio vini non extermi nauit aquam præcisè vi sua physica, sed vt procedebat ex intentione Christi desinentis substantiam aquæ conseruare, vt ibi non nisi vinum existeret. Idem cernitur quotiescumque in materia vel subiecto ad productionem vnus formæ altera desinit esse. illa enim desitio non fit directè vi productionis alterius (posset enim Deus illas simul conseruare) sed fit subtractione influxus conseruatiui, vt possit esse actio in rebus, & effectus naturali modo existerè.

Secundò, Rectè à Patribus dictum, Christi Corpus quotidie à Sacerdotibus *confici, fieri, effici, creari*. Actio enim illa est verè productiua substantialiter, adeoque efficax, vt si Christi Corpus non existeret secundum esse naturale, stante hoc mysterio, produccendum foret per illam ex nihilo, vt rectè docet Gabriel in Canon. lect. 40. & 46. & consentit Scotus in 4. d. 10. q. 4. cum fatetur, hoc mysterium potuisse institui diuinitus ante Christi incarnationem cum eadem virtute: & tunc Christi Corpus habiturum fuisse sub Sacramento verum esse substantiale, cum nondum haberet modum essendi naturalem; quæ sententiæ euertit actionem adductiuam, per quam id nullo modo fieri potuisset.

Tertiò, Intelligi potest quomodo Corpus Christi sit verè, realiter & substantialiter in Sacramento; vt Concilium Trident. definit, & non minus propriè quàm in celo. quod sanè in priore sententiâ concipi non potest, vt ostensum est.

Denique iuxta hanc sententiâ intelligi potest, quomodo Christus sæpe in terris visibiliter quibusdam post ascensionem suam apparuerit, cum tamen non sit credibile, ipsum tunc deseruisse celum, iuxta illud Act. 3. *Oportet illum celum suscipere vsque ad tempus restitutionis omnium* vt cum apparuit Paulo eunti Damascum, cum Petro exeunti urbem Romanam, & multis aliis Sanctis. Hæc breuiter

Tertul. lib. 4.  
Contra Marcionem.  
Ambros. lib.  
De iis qui  
myst. init.  
cap. 9. & li. 4.  
De Sacram.  
cap. 4.  
Cypr. Serm.  
De Cena  
Domini.  
Damas.  
li. 4. De fide  
orthod. c. 14.



ter pro nostro instituto, de primo isto miraculo: qui plura desiderat, Suarem & Coninck consulat.

Secundum miraculum est, *Positio anime Christi cum tota sua san-*  
*ctitate, cum visione & amore beatifico*; denique cum omnibus suis  
 ornamentis & dotibus naturalibus & supernaturalibus, sub iisdem  
 speciebus. Non enim decebat corpus ibi esse sine anima, nec ani-  
 mam decebat esse destitutam suis bonis ac opibus. Ponuntur hæc  
 omnia simili modo quo ipsum corpus, nempe per reproductionem  
 quamdam efficacissimam, non per nudam adductionem, ut ex su-  
 præ dictis facile probari potest. Dicuntur hæc ibi esse, non ex vi  
 verborum, sed per concomitantiam. *Non ex vi verborum*: quia ver-  
 ba consecrationis non significant horum presentiam, ac proinde  
 ex vi suæ significationis eam non postulant ad sui veritatem. Illa  
 enim formula, *Hoc est corpus meum*, non postulat ad sui veritatem  
 ut corpus sit animatum aut inanimatum, vel ut ibi quoque sit san-  
 guis; sed solum postulat ut sit corpus humanum constans ossibus  
 & nervis, venis & arteriis, carne, & cute, & visceribus. Hæc enim  
 sunt de ratione corporis humani, & constant distinctis formis par-  
 tialibus, ut erudite ostendit Hieronymus Dandinus in doctissi-  
 mo Opere de anima, quæ sententia mihi semper placuit. Per  
 concomitantiam verò ibi dicuntur poni, *Quia sunt ibi*, inquit Con-  
 cil. Trident. sess. 13. c. 3. *vi naturalis illius connexionis & concomitan-*  
*tia, qua partes Christi Domini, qui iam à mortuis resurrexit non*  
*plius moriturus, inter se copulantur.* Quod non ita intelligo, quasi  
 eo ipso quo Corpus Christi in celo animatum existens, ponitur  
 sub speciebus; per solam naturalem sequelam aut necessariam con-  
 nexionem, absque alio peculiari influxu, eodem trahatur anima,  
 & alia quæ corpori insunt: id enim verum non existimo. Primò,  
 Quia alioquin etiam modus extensionis, quem corpus Christi ha-  
 bet in calis, deberet esse in Sacramento; quod fieri non potest.  
 Deinde, Quia positio hæc Corporis Christi fit per influxum sub-  
 stantificum, intimè, ut ita dicam, productivum illius, atqui hoc  
 ipso quo producit præcisè caro Christi, collato esse carnis sub  
 speciebus, non producit anima, neque productio animæ resultat  
 ex productione substantiæ carnis; sed opus est nouo & distincto in-  
 fluxu productivo, qui ad substantiam animæ terminetur. Idem  
 dicendum de omnibus realiter distinctis, quorum alterum non  
 necessariò ex altero resultat. Omnia enim hæc egent distincto in-  
 fluxu ad sui replicationem, sicut ad sui creationem, aut primæuam

Secundum  
 miraculum  
 est, *Positio*  
 Corpus  
 Domini, &c.

Quo modo  
 per concomi-  
 tantiam in-  
 telligendum.

pro-



productionem. Ratio igitur, cur *per concomitantiam* dicantur ibi ista poni, est, quia illa naturalis connexio postulat illum influxum productiuum, quo hoc ipso quo corpus ponitur sub specie panis, ibidem quoque ponatur sanguis & anima, &c. & ita ex vi connexionis, non tamquam ex proxima & totali causa, sed vt ex causa remota aliam propinquire & sufficientem postulante. Cum enim Christus, vt inquit Concilium, non amplius moriatur, nec partes eius sint separandæ, non potuit congruè corpus ibi poni sine anima, sed animam oportuit comitari, & simul poni vbiicumque corpus poneretur. Pari modo non potuit poni sanguis sine carne, nec caro sine sanguine: vnde etiam caro est sub specie vini, & sanguis sub specie panis *per concomitantiam*. Non ergo tam necessitate physica quàm morali constat hæc concomitantia, ne qua imperfectio aut aliquid minus dignum in glorioso illo corpore ponatur. Hoc igitur sensu non solum tota gloria illius corporis, sed etiam anima, & tota animæ sanctitas, sapientia & gloria est in hoc Sacramento *per concomitantiam*. Hoc tamen nihil detrahit perfectæ illorum præsentia, nec minus verè, realiter & substantialiter sunt ibi, quàm substantia carnis, quæ ex vi verborum esse dicitur. nam æquè ad omnium horum præsentiam proprius & distinctus influxus productiuus requiritur.

*Tertium miraculum circa Corpus Christi.*

Tertium miraculum est *Positio vnionis hypostaticæ*, qua & caro & anima Verbo diuino vnita, & veluti surculus quidam insita est. Hæc omnino erat necessaria, quia ab ea caro præcipuam suam dignitatem & omnem vim sanctificandi habet, iuxta illud Domini Ioan. 6. *Spiritus est qui viuificat, caro autem non prodest quidquam.* sed de hoc supra. Ponitur autem hæc vnio per propriam actionem productiuam, sicut & alia quæ *per concomitantiam* hic esse dicuntur. Et si autem Verbum diuinum vbiquæ sit, vnio tamen corporis & animæ Christi cum Verbo non est vbiq; quia corpus & anima Christi vbiq; non sunt, sed certo loco circumscripta. vnio autem est modus intrinsecus illorum, nec sine illis esse vilo modo potest. Itaque sicut anima & corpus Christi propria actione poni debent in hoc Sacramento, ita etiam vnio illorum cum Verbo. Hinc sequitur etiam, Verbum diuinum in hoc Sacramento *per concomitantiam* esse: nimirum, non solum ratione suæ immensitatis, quæ est in omnibus rebus, sed etiam ratione vnionis hypostaticæ, quæ peculiari ratione præsentiam Verbi requirit, vt etiam Concil. Trident. supra disertè affirmat. Vnde vltèrius, ratione identitatis vel

con-



connexionis cum Verbo, nec esse est etiam Diuinitatem, & Patrem, & Spiritum sanctum ibidem esse. hæc enim omnia ipsa viuo hypostatica peculiari ratione secum trahit. Ad hæc tamen nullo modo se extendit actio illa productiua, vt per se notum est.

124 Quartum miraculum est, *Modus existendi* spiritualis ipsius Corporis cum omnibus suis corporalibus qualitatibus sub speciebus panis & vini. Corpus enim cum tota sua mole suisque qualitatibus diuina virtute supra conditionem corporalem eleuatur, & accipit modum existendi spiritalem, quo veluti in punctum contrahitur, & simul continuè per speciem ita diffunditur, vt instar substantiæ spiritualis sit totum sub tota specie panis, & totum sub singulis eius partibus; sicut anima rationalis est tota in toto corpore, & tota simul in singulis eius partibus: & natura Angelica est tota in totius spatij complexu, & tota in singulis spatij partibus. Duo enim ad modum essendi spiritalem, quem substantiæ incorporeæ habent, requiruntur. Alterum est, vt res tota sit veluti collecta in punctum indiuisibile, ita vt nihil illius sit, quod in illo indiuisibili non reperitur. Si enim aliquid eius esset extra illud indiuisibile, quod etiam intra illud non sit, habere potius modum existendi rerum corporalium, quarum est habere partem extra partem, quam rerum spiritualium, quæ totam entitatem suam in punctum indiuisibile collectam obtinent. Alterum est, vt illud indiuisibile continuè sit extensum vel diffusum, non per partes, (hoc enim est rerum corporalium;) sed per suas, vt ita dixerim, totalitates, alioquin non posset aliquod spatium continuum simul totum & continuo modo occupare, quod etiam est contra modum existendi rerum spiritualium. Requiritur itaque vt totum sit intra punctum indiuisibile, & totum extra, absque tamen discontinuatione. Vtrumque horum reperitur in modo existendi quo Corpus Christi existit in hoc Sacramento: nam totum est sub quouis puncto indiuisibili, vel saltem sub quouis etiam minima, & ad sensum indiuisibili particula, & totum est continuè absque intermissione diffusum per totam specierum quantitatem; sicut substantiæ spirituales sunt diffusa per totum spatium quod occupant.

Valdè stupendum & insolens est hoc miraculum, numquam aliàs factum, numquam faciendum extra hoc mysterium, vt res extensa per partes accipiat modum rerum spiritualium existendi inextensè; & cum substantia & existentia sit corporalis, modus tamen essendi sit spiritualis. Excludit quidem hic modus existendi

Q q      figu-

Quartū miraculum circa Christi Corpus.

Duo requisiti ad modum spiritalem.

Res spiritualis tota est in puncto, & tota extra.



figuram extrinsecam, & modum extensivum quem Christi Corpus habet in caelo secundum naturalem conditionem; (hæc enim dicunt ordinem & commensuram ad locum vel spatium:) non tamen excludit aliquid molis aut realis quantitatis illius corporis, nec figuram, ut ita dicam, intrinsecam, quæ in temperamento & dispositione ac continuatione partium intrinseca, ex qua naturaliter resultat figura externa, sita est. Figura enim extrinseca est ab intrinseca rei dispositione partium quæ dispositione, maxime in viventibus, non ab extrinseca tantum formatione, ut in statuis signisque sculptis vel fuis. Est igitur ibi Corpus Christi sine partium confixione aut confusione. Etsi enim omnes simul & in eodem puncto sint, quælibet tamen retinet suum temperamentum, suam unionem, suam connexionem, suum ordinem, & omnem internam dispositionem, quæ à respectu & commensuram loci non pendet.

Quomodo  
sit figura  
Corporis  
Christi.

Quintum  
miraculum  
circa Corpus  
Christi.

Quintum miraculum est, *multiplicatio*, ut ita dixerim *Corporis Christi* sub eadem specie, seu presentia multiplex, & modus existendi multipliciter. Anima rationalis est quidem tota in singulis partibus corporis humani, non tamen totaliter, nec plenè, nec completè, sed imperfectè, & cum dependentia ab existentia in aliis partibus; & semel tantum completè est in toto. Unde abscissa parte, non potest in ea conservari nisi novo miraculo; quo tamen casu etiam incompletum esse, & veluti incisum, & in suas totalitatis diuisum habebit. At Corpus Christi est sub singulis specierum partibus completè & totaliter, tamque perfectè quàm sub tota specie; nec existentia eius sub hac particula dependet villo modo ab existentia sub particulis vicinis, sed sub singulis est modo perfectè & independenter ab aliis. Unde facta diuisione, permanet sub singulis completè absque nouo miraculo. Habet autem hoc completum esse sub particulis singulis, quantumvis exiguis, & ante & post earum separationem, sub quibus semota consecratione esset substantia panis.

An infinites  
ibi sit.

Est sol<sup>us</sup>  
semel completè  
sub quouis  
minimo na  
turali.

Dices: Ergo Corpus Christi est ibi infinites, quia particulæ in quas species illæ diuidi possunt, sunt infinitæ. Respondeo, non sequi, ibi esse infinites completè: quia valde credibile est, non esse nisi semel completè sub vno minimo naturali. Unde cum minima naturalia in hoc pane sint finita, finities quoque ibi erit Corpus Christi. *Minimum naturale* voco particulam ita paruam, ut si à toto separata existens diuidatur, non possit naturaliter eius substantia conservari, actione elementorum eam dissolvente. Vbi enim mo-  
men-



mentum substantiæ panis non erat amplius diuisibile in duo, cur dicemus ibi Corpus Christi esse dupliciter, id est, secundum duas completas totalitates? Dicitur etiam potest, Christi Corpus non esse ibi nisi semel completè sub quavis particula sensibili: nam materia huius Sacramenti est panis sensibilis. Fateri tamen possumus, Corpus Christi ibi esse infinities incompletè, vel secundum incompletas, ut ita dicam, replicationes; quia sunt infinitæ partes designabiles, sub quibus totum illud corpus existit: sicut anima in corpore est infinities, id est, in infinitis particulis tota, sed incompletè: id enim modus existendi rerum spiritualium necessariò includit. Sicut enim corporalia habent infinitas particulas, etsi indeterminatæ quantitatis secundum quas se extendunt per spatium, ita spiritualia suo quodam modo habent infinitas totalitates, quibus se continuè per spatium vel corpus diffundunt.

*Non est ibi infinities completè, sed incompletè.*

Differt multum hoc miraculum à præcedenti: non enim eo ipso quo aliquid accipit modum existendi spiritalem, accipit etiam illam existentiam completam multipliciter. poterat enim semel tantum sub vna specie se donare. Vnde nulla substantia spiritualis illam habet, sed solum Christi Corpus illam accipit admirabili illa vi replicatiua. Qua in re consideranda est immensa Christi in nos charitas, qui sub vna specie non semel tantum, sed millies se nobis dare voluit, ut dum illum sub aliqua specie sumimus, quodam modò millies sumeremus. Quæ dicta sunt de Corpore, intelligenda quoque de Sanguine, anima, horum motibus, & vnione hypostatica: hæc enim omnia pariter cum corpore multipliciter illam accipiunt.

*Discrimen huius modi à præcedenti.*

127 Sextum miraculum est, *Corporis Christi ad corruptionem specierum desinitio in Sacramento.* Cum enim ab externo agente, vel interna

*Sextum miraculum circa Corpus Christi.*

qualitatum pugna ita species euertuntur, ut sub illis amplius substantia panis conseruari non posset; eo ipso momento, quo desineret substantia panis, desinit etiam Corpus Christi. Non quòd Corpus Christi ab illis speciebus aliquam habeat naturalem dependentiam, sicut substantia panis; sed quia Deus tunc desinit continuare illum influxum, quo ibi Corpus Christi erat positum, & veluti productum. Sicut enim nouo influxu productiuo ibi erat positum, ita illius influxus inhibitione & suspensione ibi desinit. Vnde sicut ille influxus aded erat efficax, ut per illum Corpus Christi posset produci ex nihilo, si alibi non esset; ita ratione suspensionis illius influxus desineret in nihilum, nisi alibi maneret.

Qq 2 Verum



Verum quia alibi idem omnino esse permanet completissimum, nihil damni aut incommodi ex hac desitione sub speciebus accipit, sicut nihil commodi accipit ex productione. idem enim Christo est esse semel, & esse millies, cum semel existens, omne bonum habeat plenissimè, & omnia possit, quæ existens millies. Hæc de miraculis circa Corpus Christi sub speciebus.

*Duo miracula circa consecrationem.*

Circa consecrationem primum miraculum est, tantæ multitudini hanc potestatem concessam; neque ad eam requiri vitæ sanctitatem, aut veram fidem, neque ob ullam flagitiorum immanitatem illam adimi. Si vni tantum in mundo esset concessa, quanta hic in omnium esset admiratione? quanti ad illum undique fierent concursus? quanto ab omnibus afficeretur honore? veluti quidam Deus haberetur in terris, cui tam diuina esset auctoritas & potestas concessa. Nunc effusissima Dei bonitas non vni tantum, sed præne innumerabilibus hanc potestatem contulit, & porro confert, etiam peccatoribus indignissimis, adulteris, homicidis, blasphemis, schismaticis, hæreticis. qua in re veluti suæ dignitatis oblitus, sui honoris & reuerentiæ curam neglexisse videtur. Nam multitudine illa & indignitas ministrorum, calescentem illam potestatem, eiusque functiones & diuinissima dona quæ per illam mundo Deus impertit, fecit vilescere, & minus æstimari ab hominibus; sed Deus commodorum nostrorum intuitu ista statuit, nimirum ut nobis vique & semper hoc diuinum Sacrificium, & æternitatis alimentum, etiam per indignos Sacerdotes copiosè suppeteret, neque ob eorum malitiam nos tanto bono frustraremur.

Alterum est, facilitas conficiendi. Non enim opus est ingenti labore ad rem tantam perficiendam; sed summa facilitate paucis conficitur verbis. Quid facilius verbo? Nullum signum externum promptius & minori labore edi poterat, quàm verbum & breuis locutio. Si aliquis pro arbitrio montes transferre posset, videret, siccare maria, cedere ventos & fulmina, excitare mortuos, quàmuis ad id multa oratione, multisque carimènis vteretur, in summa esset admiratione. At quid sunt ista ad magnitudinem huius mysterij, quod per se non minus est arduum & ingens quàm cæli & terræ creatio; & tamen tanta facilitate, tamque brevi tempore ab homine indignissimo perficitur. Mira prorsus est in his diuina misericordia & benignitas, omni que admiratione superior. Sed hæc omnia, ut dictum est, sic constituit, ut omnia nobis ad salutem opportuna abundantissimè, absque labore, & quasi sponte suppeditarent:



rent: sicque immensitatem sui in nos amoris & misericordiae plusquam paterna viscera declararet, nosque facillim ad se redandum alliceret.

129 Hæc de præcipuis huius mysterij admirandis. Præter hæc facit etiam ad commendationem & miraculum huius mysterij, quod magnam habeat cum *mysterio Incarnationis* affinitatem. Sicut enim in mysterio Incarnationis Diuinitas inuisibilis vnita est humanitati visibili; ita in Eucharistia caro Christi inuisibilis vnita est speciebus visibilibus. Secundò, Sicut ex illa vnione vnus efficitur Christus; ita ex hac vnione cum speciebus vnum Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi. Tertiò, Sicut per incarnationem totum Verbum vnitum est singulis humanæ naturæ partibus; ita per consecrationem totum Christi Corpus singulis vnitur partibus specierum. Quartò, Sicut læsa & patiente humanitate Diuinitas manebat illæsa & impassibilis; ita passiones quæ sunt circa species, non possunt Corpus Christi sub illis latens afficere. Quintò, Sicut tamen ob vnionem illam Deus dicebatur pati, crucifigi, mori patiente humanitate; ita ob hanc vnionem, fractis & sumptis speciebus, dicitur frangi & sumi Corpus Christi. Facit enim hæc vnio quandam idiomatum communionem. Sic etiam Corpus Christi dicitur videri, tangi, misceri, portari, ratione specierum; & hoc visibile rectè dicitur viuum, intelligens, sanctificans, ratione Corporis inclusi. Sextò, Sicut humanitas Christi, non habet ibi suum naturalem modum subsistendi, sed sustentabatur à Verbo; ita species non habent hic suum naturalem modum existendi, sed continentur virtute Corporis Christi extra suum naturale subiectum. Septimò, Sicut nulla vis creata potest illam vnionem dissolueri; ita nec hanc, quàm diu species saluæ manent.

*Analogia Eucharistia & Incarnationis.*

## CAPVT XVII.

*De modo quo beneficia sua contulit.*

130 SUPERIORIBVS Capitulis explicuimus octo beneficia diuinæ misericordiae generalia infinitæ æstimationis nobis per Verbum Incarnatum præbita: nunc considerandus est modus quo Christus nobis supradicta beneficia contulit; quanto labore, quantis doloribus, acerbitatibus, incommodis: hoc enim summopere ad magnitudinem misericordiae declarandam facit. Si enim bene-

*Modus conferendi supradicta beneficia considerandus.*

Q q 3 ficiu



ficiam non nisi maximis incommodis benefactoris collatum est, non minus æstimatur e modo conferendi, quam ex magnitudine rei collatæ. Qui enim miseriæ alienæ absque difficultate aut incommodo aliquo suo consulit, solum rem illam externam, quam illi donat, expendit: qui verò, vt succurrat, multos labores & dolores subire debet, non solum rem illam quam misero tribuit, quæque eius leuat miseriæ, conferre censetur; sed etiam suos labores, sudores, afflictiones (quæ longè pluris æstimantur) in illum expendere. Ingens fuit benignitatis opus, quod nos ex nihilo ad imaginem & similitudinem suam creavit, & ad statum diuinum euekerit; sed magna facilitate absque vlllo suo incommodo, & quasi ex redundantia bonorum suorum id præstitit. Nulli in eo labores exantlandi, nulli perpetuam dolores, nullæ difficultates tolerandæ. Ex immensitate bonorum parua dumtaxat scintilla delibata vel adumbrata est, & totum opus absolutum exitit. At perditos redimere, & ab exitio reuocare, non ita facile fuit; sed multa & varia incommoda, eaque grauissima subeunda illi fuere. Vnde S. Bernardus Tractatu De diligendo Deo col. 6. sic ait: *Si totum me debeo pro me facto, quid addam vram pro refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus quam factus. Nam qui me semel, & tantum dicendo fecit, in reficiendo profecto & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura; nec tantum dura, sed & indigna, &c.* Idem Sermone 20. in Cantica: *Super omnia reddit amabilem te mihi, Iesu bone, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc, inquam, est quod nostram deuotionem & benedictus allicit, & instius exigit, & arctius stringit, & vehementius afficit. Multum quippe in eo laborauit Saluator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor assumpsit. Ille denique dixit, & facta sunt; mandauit, & creata sunt: at verò in hoc & in dictis suis sustinuit contradictores, & in factis observatores, & in tormentis illusores. & in morte exploratores. Ecce quomodo dilexit? Vide eundem Serm. 11. in Cantica.*

*Prima afflictio in opere redemptionis.*

*Acceptio reus peccatorum.*

Prima difficultas in redemptionis nostræ opere fuit in acceptando peccatorum totius mundi reatu, & obligatione pro eis satisfaciendi. Cogita quanta sit illa scelerum Colluies, quantum malitiæ pelagus & quam inexhaustum, quod totum mundum ab initio vsque ad finem inundat. Hoc totum clarè & distinctè oculis Christi obiectum, & simul humeris eius impositum, vt loco generis humani se veluti reum omnium istorum coram iustitia diuina susteret, & iustam satisfactionem sponderet. Quantum putas  
in



in ea re illi puritati fuisse horrorem, quantum auersionem & abominationem? Sicut si vestis aliqua fœdissimis rebus vndiq; aspersa & inquinata corpori delicato & nitidissimo induceretur, illudque operiret & vndique contingeret, magnum adferret illi horrorem & afflictionem: ita peccatorum nostrorum reatus veluti quoddam operimentum ex infinitis abominationibus contextum, ab illa puritate assumptum, & arctissime applicitum ac inductum, maximum illi horrorem concitauit. hac veluti veste fordidissima indutus, se diuinæ iustitiæ tamquam reum pro nobis stitit, & profundissime, tamquam si ipsemet omnia illa patrasset, humiliquit. Hanc culparum nostrarum in Dominum translationem multis locis insinuat sacra Scriptura Isaia 53. *Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum.* & paulò antè: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Ipse autem vulneratus est propter scelera nostra.* & infra: *In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.* & paulò post: *Ipse peccata multorum tulit.* Hinc Dominus delicta nostra sua vocat, quia nimirum illa in se transtulit. Psalm. 21. *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? longè à salute mea verba delictorum meorum.* quæ dicat, Idèd me dereliquisti, quia accusatio delictorum quæ in me transtuli, me saluari prohibet. Psalm. 39. *Quoniam circumdederunt me mala quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates mee.* & Psalm. 68. *Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.* His & aliis locis sermò est de delictis & iniquitatibus ipsi impositis.

132 Petes, Vtrum etiam damnatorum hominum peccata in se susceperit, & pro illis satisfactionem exhibuerit? Respondeo, suscepisse, non quidem eo modo vt iam damnatis in posterum aliquid commodi posset prouenire, sicut ijs qui tunc nondum erant damnati; sed quia præstitit id quod debitum erat diuinæ iustitiæ, ratione gratiæ & fauoris illis olim in vita prærogati. Deus enim intuitu satisfactionis Christi, & meritum eius futurorum, dispensatoriè hominibus prioribus gratiam suam & remissionem peccatorum obtulit; ita vt per illos steterit, si non sint saluati. Vnde Christus post eà hunc fauorem & gratiam præstitam, sua satisfactione veluti solutione compensare debuit, etiam si illi non amplius sint capaces in posterum vllius gratiæ aut boni.

Neque solùm in statu illo Rei suscipiendo difficultas fuit, sed etiã in acceptanda morte, pœnisiq; acerrimis, totoque satisfactionis onere;

An pro damnatis satisfecerit.

Rom. 5, 6.

1. Cor. 16, 22.

2. Cor. 5, 15.

1. Ioan. 2, 2.

Acceptatio mortis.

onere;



onere; præsertim cum hæc omnia clarissimè & distinctissimè tamquam præsentia oculis mentis ipsius obicerentur. Nos quidem malorum huiusmodi impendentium apprehensione inficendum parum commouemur; quia rudi modo & tamquam adhuc procul posita illa concipimus: verùm Dominus ab initio conceptionis non minus efficaciter & viuaciter ea concipiebat; animoque proposita habebat, quàm si præsentia oculis corporis intuitus fuisset; vnde non minus illorum consideratione moueri & affligi poterat, quàm si mox ea sibi subeunda vidisset. Quantam autem prædictorum malorum consideratio vim in animo, & quando ipse voluit, permittit, etiam in corpore Domini nostri habuerit, colligi potest ex ijs quæ in horto, dum Patrem oraret, & calicem illum amarissimum deprecaretur, perpeffus est, vbi tantas ex hac apprehensione angustias, tantam naturæ luctam sustinuit, vt sanguineum sudorem copiosissimè effuderit. Cum enim natura tantam suppliciorum acerbicatem, & tantum peccatorum nostrorum pondus sibi imponendum summè refugeret, & econtrariò charitas Christi & obedientia paterna eam efficacissimè ad illa acceptanda & perpetienda propelleret, factum est vt ex hac agonia & veluti colluctatione, natura impetus victus sanguineum sudorem emisit. Sanguis enim introrsum refugiens, mox summo impetu extorsum ad superficiem repulsum simul cum sudore per poros corporis foras largiter est effusus. Ex quo patet, & quantopere natura supplicia illa refugerit, & quanta vi spiritus naturam vicerit, eamque ad illa amplectenda impulerit, & quantum in vitroque natura illa innocentissima sit perpelli.

Luce 22.

Secunda difficultas fuit in dolore peccatorum. Dominus enim simulatque culpas nostras in se transtulit, seque reum loco nostro fecit, dolorem de illis maximum concepit, eumque tota vita sua conuinauit, etsi non semper permiserit integrè in corpus redundare. Nam sicut is qui peccauit, primò se debet reum agnoscere, deinde concipere dolorem, quòd Deum offenderit, tertio, exhibere pro modulo suo satisfactionem: ita Dominus primò se veluti reum coram diuino tribunali loco nostro constituit; deinde dolorem internum grauissimum in se concitauit; tertio, ad externam satisfactionem, eamque variam processit. Est enim internus dolor animi, satisfactio quædam peccatorum prima & maximè efficax, vt quæ interiùs voluntatem commutet & corrigat, per quam voluntas retractat,

Secunda affectio, in dolore peccatorum, seu satisfactione interna



tractat, & quantum in se est, irritum reddit, & infectum quod commisit, & simul se ipsa doloris acerbitate castigat & punit. Hinc etiam est primus actus poenitentiae ad delendum peccatum, & reconciliationem obtinendam maximè necessarius. Ratio dolendi Domino potissimum fuit duplex. Prior, iniuria diuinæ maiestati per peccatum irrogata. Altera, damnum humano generi inde proueniens. Cernebat ille perspicue & in particulari peccata omnia, & quanta singulis infinitæ illi bonitati & maiestati fieret iniuria, quanta contumelia, quantus contemptus. Cernebat etiam quantum malum sit æterna damnatio, quam totum genus nostrum sibi per peccatum arcessiuerat. Hinc dolor excitabatur acerrimus. Magnitudo enim doloris seu tristitiæ sequitur magnitudinem mali, & perfectionem cognitionis, qua malum illud apprehenditur: atqui malum hic erat maximum, tum in ratione culpæ (erat enim pelagus quoddam peccatorum, & abyssus malitiæ contra diuinum Numen) tum in ratione poenæ. Quæ enim maior calamitas & afflictio fingi potest, quàm sit æterna damnatio? Apprehensio etiam perfectissima. Multò enim exactiùs & clariùs singula considerabat & ponderabat, quàm vlla creatura posset. Itaque oportuit & ipsum dolorem maximum esse, vt qui magnitudini mali & perfectioni apprehensionis responderit. Vnde non dubitauerim affirmare, hunc dolorem sufficientissimum fuisse ad vitam Domino millies eripiendam, si vim suam in corpus exerere permisus fuisset. Quod enim magnitudo doloris animi seu mœstitiæ vitam interciperet & hominem occidere possit, multis exemplis constat. Legimus enim quosdam vehementia contritionis subito extinctos, & Heli dolore captæ arcæ retrorsum cecidit & expirauit. Similiter & nurus eius dolore eiusdem eladis extincta est. Ita enim cor concluditur, refluente ad ipsum sanguine cum spiritu, vt impedita naturali diastole & systole, multa fuligine collecta suffocetur. Sicut e contrariò in maxima lætitia ita subinde dilatatur, vt spiritu effuso & dissipato vita simul evanescat. At dolor quo Dominus noster de peccatis nostris doluit, longè maior fuit & intensione & æstimatione, quàm vllus dolor qui in hominem cadere possit. Sed dispensatorie factum est, ne vis eius in corpus se proferret, nisi quando & quantum Domino videretur. Habebat enim plenissimum omnium affectuum appetitus inferioris, & commotionis spirituum & sanguinis dominium. Fuit hic dolor continuus ab initio conceptionis vsque ad finem vitæ, sicut & apprehensio peccatorum; quamuis non sem-

*Duplex ratio dolendi Dominus.*

*Magnitudo doloris animi in Domino nostro.*

*Dolor animi potest hominem interimere corde suffocato. 1. Reg. 4.*



per æquè in appetitum inferiorè & corpus permissus sit redundare; sed interdum plus, interdum minus, prout occasiones exteriores, & tempus & locus postulabant. Maxime autem ei laxatae habent in horto, quando sudorem sanguineum expressit, & reliquo passionis tempore; nimirum ut pars inferior non solum extrinsecus flagellis, spinis, cruce; sed etiam intrinsecus tristitia spontanea affligeretur: sicque cum externa satisfactione per passionem carnis, exhiberet simul internam per dolorem spiritus.

Tertia difficultas fuit in *satisfactione externa*, ad quam præstantiam multa & asperrima subiit. Primò, *Tolerantiam paupertatis*. Assumpsit enim statum paupertatis, qui secum multa defert incommoda, ut famem, sitim, frigus, æstum, labores, & commodorum huius vitæ inopiam. Nasci voluit à parentibus pauperibus, in loco alieno, in stabulo, exclusus & reiectus ab hospitibus communibus & visitatis; reclinari non aliorum more in lectulo, in molli culcitra; sed in præsepio, in fœno, in stramentis animalium, inter animalia. Quæ maior paupertas animo concipi queat? Paulò post faciente persecutione Herodiana fugit in longinquas & ignotas oras, ibique peregrinus & contemptus degit annos aliquot. Quanta in illa fuga, in mansione peregrina, & in reditu paupertatis incommoda perpeffum putas? Postea adultam ætatem assecutus, pauperes discipulos & rudes sibi adsciuit, eorumque conuictu & consuetudine semper est usus quàm diu inter mortales egit, mendicatio victu & piorum eleëmofynis ipsos & se sustentans. Denique tanta eius paupertas fuit, ut neque lectum, neque cubile, neque domicilium quò se reciperet, haberet. *Vulpes, inquit, foveas habent, & volucres celi nidos; filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Ipse tamen omnium erat Dominus, omnipotens auctor & largitor, si diuinam naturam spectes: si humanam, ad ipsum pertinebant omnia sublimis cuiusdam dominij iure, quod illi ratione vnionis hypostaticæ competeat. Sed cum diues esset, propter nos egenus factus est (vsu & commodorum fruitione) ut ipsius inopia diuites essemus.

Math. 8.

2. Corinthe.

Secundo, Obedientia Legis. Gal. 4.

Secundo, *Subiectionem & obedientiam Legis*. Factus enim est sub Lege, ut eos qui sub Lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus, & ex seruis liberos, ac filios Dei efficeret. Erat autem in hac subiectione & magna molestia, & multiplex humiliatio. Molestia, ob circumcisionem, & ob alias multas steriles obseruantias populò illi duræ ceruicis & ingenij seruilis præscriptas. Humiliatio, quia  
Lex



Lex ob duas potissimas causas data est. Primum, Vt mundo idololatria obruto, populum illum ab illicitis cultibus auerteret, & partim timore pœnarum temporalium, partim innoxio illo cærimoniarum Legis exercitio detineret, ne actu communis consuetudinis abreptus, in barathrum idololatriæ deuolueretur. Secundò, Vt carnalis populus, & rerum spiritualium rudis, vmbri & figuris Legis informaretur ad mysteria Christi; vt quia nudam veritatem illorum capere non poterat, saltem in figuris & vmbriticis signis ea teneret, sicut pueris & rudibus spiritualia bona per sensibilia explicari solent. Vnde Apost. ad Galat. 3. *Lex, inquit, pædagogus noster erat in Christo.* Pædagogus, qui & timore supplicij homines ad illicita pronos compesceret, & rudes, puerorum instar, symbolicis typis ad Christi veritatem instrueret. Subiectio itaque Legis, signum erat & innata prauitatis & ruditatis. Magna itaque humiliatio fuit illi Sapientiæ & Sanctitati, Legi subiecti, quasi ipsa illis imperfectionibus subiecta, & huiusmodi pædagogicæ indiga fuisset. Potuisset se meritò à Lege eximere, vtpote Legis auctor, Lege omni superior, ad quem præfigurandum & excipiendum Lex condita, in quo Lex omnis impletur, & vmbri omnes euanescent, & salutaris veritas omnis aperitur, & omnis iustitia, sanctificatio, & redemptio representatur. Sed sponte se illi subiecit, tum in satisfactionem, & redemptionem nostram, vt dictum est: tum ne Iudei tamquam Legis præuicatorum reicerent, ne hanc speciem iustæ excusationis, suæ impietati & infidelitati possent prætere.

*Cur Lex data.*

136 Tertiò, *Obedientiam parentum, & humilem illum obscurum-que vitæ modum, quem vsque ad annum 30. ætatis suæ tenuit. Venit enim Nazareth, & erat subditus illis,* inquit Euangelista. Erat ipse plenus sapientia, imò Sapientia ipsa gubernans & disponens omnia, & tamen tamquam insipiens & directione humana egens, subiicit se parentibus pauperculis, simplicibus; eorum imperium & ductum sequitur, in obscuro illo vitæ modo, tamquam aliquis è vulgo ignotus & inglorius, se continens; & parentem putatum in arte fabrili rebusque externis, ad victum vestitumque conquirendum adiuuans. Non enim credibile est, tanto tempore otiosum vixisse, sed voluisse liberis dare exemplum quo modo parentibus suis obedire & auxilio esse debeant. Quàm mirabile erat, mundi fabrum & conditorem homini fabro seruire, instrumenta fabrilia porrigere, ex eius præscripto ligna secare, dolare, aptare, ferram ex aduerso reciprocare, trabes machinis attollere, locare,

*Tertiò, Obedientia parentum. Luca 2.*



locare, componere, & plia, more famuli vel discipulis, fabrilia obire. Quae putas modestis, quae promptitudine, quae mansuetudine? nimirum instar obedientissimi filij & famuli. Haec omnia faciebat, Diuinitatis suae maiestatem obtegens, serui formam dumtaxat praeferebat, in eaque humiliter homini plebeio inseruiens, & obedientiae documenta proferens; ut omnem virtutem prius ostenderet exemplo quam doceret verbo, & hac conuersationis suae humilitate pro nostra superbia Patri faceret satis. Quam longe ab his absunt mores nostri! qui, si quid praecleari in nobis esse putamus, non valemus illud intra nos continere, sed importune opportunè effundimus, ostentamus, iactamus, & vanè gloriamur, quasi aliquid praeter ceteris vel sciamus, vel possimus, vel simus; cum tamen nihil simus. Eandem conuersationis humilitatem etiam post sui manifestationem retinuit, adiunctis sibi rudibus & infimae sortis discipulis, cum illis tamquam sociis, amicis & fratribus familiariter & assidue agens, totamque regionem obiens, eorum imperitiam & mores incompósitos benignè tolerans, publicè & priuatim eos erudiens. Ecce quò se illa Sapientia demittit? quibus se accommodat? quomodo cum rudibus & insipientibus, tamquam similis illis, se gerit?

Quarto, La-  
uer docendi.

Quarto, Sustinuit ingentes molestias in hominibus tum exem-  
plo tum sermone erudiendis: magno enim labore corporis & fati-  
gatione vicos, castella, ciuitates, totamque Palaestinae regionem  
per tres annos & menses aliquot obiuit, praedicans regnum  
Dei, & viam salutis omnes docens, pauperes & afflictos con-  
solans, morbos curans, daemones expellens, & eorum antiquam  
in corpora & animas tyrannidem euertens, & vitam aeternam  
omnibus in se credentibus promittens; idque tanta assiduitate,  
ut vix aliquid temporis ad quietem vel corporis refectionem sup-  
peteret, ut ex Euangelistis constat. *Meus*, inquit, *cibus est, ut*  
*faciam voluntatem eius qui misit me.* Quoties in hoc opere fatiga-  
tus est? quoties fame, siti, frigore & aestu afflictus? quoties post  
labores & sudores vel sub dio in oratione pernoctauit; vel sub  
pauperculo tugurio, humanis destitutus commodis, per noctem  
delituit? Non aderant deliciae ciborum, quibus vires reficeret;  
non indusia munda aut vestes mutatoriae, quibus sudore maden-  
ti corpori consuleret; non molles culcitrae, quibus membra de-  
fessa reclinaret; non luculentus focus, quo lassitudinem mitiga-  
ret; nec alia id genus consueta laborum solatia: sed his omnibus  
salutis

Toan. 4.



salutis nostræ desiderio contemptis, laborum quidem meras molestias perferre voluit, remedia autem & solatia admittere noluit; tum vt pro nimia carnis nostræ indulgentia diuinæ iustitiæ satisficeret, tum vt suo exemplo nos ad similes labores pro salute animarum subeundos, & commoda carnis contemnenda animaret.

138 Quintò, Sustinuit *probra & contumelias*, quantas nullus vniquam mortalium. Ecti enim esset innocentissimus, purissimus, sanctissimus, atque aded ipsa puritas & sanctitas; tamen à primariis Iudaicæ gentis viris infamatus est, & contumeliosè appellatus potor vini, publicanorum amicus, Legis euerfor, populi seductor, ambitiosus, perduellis, seditiosus, Samaritanus, præiugiator, blasphemus, Diuinitatis impius vsurpator. Quid his dici potest atrocius aut ignominiosius? quid calumniosius? Nos qui innumera peccamus, & in omne vitium, in omnem infamiam proni sumus, vix minimam calumniam sustinere possumus; turbamur, clamamus, protestamur: *Libera me*, inquit Propheta, *à calumniis hominum, vt custodiam mandata tua*; quia calumniæ sensum hominis maximè transuersum agunt, & ad impatientiam impellunt. Ille in tanta innocentia & sanctitate, post tanta beneficia & mira opera ad eorum salutem gesta, patientissimè grauissimas illas calumnias & contumelias sustinuit; idque ab eis, quos è diaboli tyrannide eripere, ab æterna morte ad æternam vitam perducere, & filios Dei efficere conabatur. Neque solum contumeliosis verborum, sed etiam factis contumeliosissimis affectibus, capientes illum tamquam latronem & seditiosum, ligantes, velantes faciem, illudentes, alapis in faciem cædentes, conspuentes, alba veste induentes, flagellantes instar serui, spinis coronantes, arundine verut scepro, & chlamyde coccinea tamquam veste regali per ludibrium (quasi regnum affectasset) ornantes: denique inter latrones crucifigentes, & in ipsa cruce felle & aceto potantes. Quid his cogitari possit acerbius, atrocius, contumeliosius? quid simile vnquam in aliquem, etiam maleficum & regni insidiatorem, designatum? hæc omnia ille mansuetissimè, patientissimè & modestissimè tolerauit, sine querelis, sine clamoribus, sine imprecationibus, sine vindicta, sine comminatione, cum summa charitate & affectus dulcedine in eos qui amarissimo animo irrogabant, deprecans pro illis Patrem, & remissionem tantorum scelerum eis flagitans.

Quintò, Calumniæ

Psalm. 78.



*Sexto, Dolores animi & corporis.*

Sexto, Perpeffus est dolores animi & corporis longè grauiiffimos. 133

*Dolor corporis ex multis caufis. Conffrictio.*

*Dolores animi* nafcebantur ex confideratione offentionis diuinae, & paucitatis faluandorum, & magnitudinis ingruentium tormentorum. Horum enim omnium clariffima & viuiffima apprehenfio dolorem in parte fuperiore gignebat tantum, vt breui tempore mortem effec illaturus, fi in partem inferiorem laxatis habenis reffundi permiffus fuiffet, vt fuprà oftentum eft. *Dolor corporis* erat ex lafione corporis, quæ extrinsecus multis modis inferebatur. Primò, *Ipsa ligatione & vinculorum conffrictione.* Captum enim fœuiffimè funibus contrinxerunt, ne poffet effugere; experti enim erant ipfius potentiam, neque facile effe ipfum vi retinere; & Iudas monuerat vt eum tenerent, & ducerent cautè. Deinde odium & rabies animi qua in Dominum ferebantur, eos impellebat, vt ftatim ab initio comprehenfiõis, tantum mali quantum licebat, illi inferrent. Itaque validis funibus, & etiam catenis (vt valde credibile eft) eum arctiffimè vincierunt, brachijs poft tergum colligatis, collo fimiliter & medio corpore acriter conffrictio. Quantum autem ea res dolorem adferat, teftantur aliquando rei extremo fupplicio afficiendi, qui interdum tantum afflictionis ex ipsis vinculis, quantum ex ipfo genere mortis ad quod damnati funt, fentiunt. Accedebat raptatio, impulfio, protruflio, dum huc illuc magno furore per vias impellitur; dum ex horto ad Annam, ab Anna ad Grapbam, à Caipha ad Pilatum, à Pilato ad Herodem, ab Herode rurius ad Pilatum, ad hoc ad crucem rapitur. Hæc enim arctè vincito fuprà modum dolores exasperabant.

*Flagellatio.*

Secundò, *Flagellatione.* Fuit enim Dominus longè fœuiffus flagellatus, quàm folent crucifigendi. Iufferat id Pilatus, partim vt gratificaretur Iudæorum Primoribus, quos fciebat fuma ipfius inuidia flagrare, ac proinde hoc illis fore longè gratiffimum: partim vt tam crudele fpectaculum ipforum odia exfatiaret, & furorem poſcentium illum ad mortem compeſceret. Itaque immaniſſimam & quæ inftar mortis cenſeri poſſet, quæ uero maior falua vita vix poſſet fuſtineri, cenſuit flagellationem adhibendam: ficque dum vnã mortem nititur à Domino auertere, geminã ei irrogat, & illa aliquã beneuolentiæ Iudicis ſpecies, verã eſt ei in augmentum ſupplicij.

*Doloris acerbitas.*

Quantam autè doloris acerbitatem Dominus ex illa flagellatione fuſtinuerit, quis æſtimet? Sanè dubitandum non eſt, quin longè grauiorem dolorem ſenſerit, quàm quilibet alius mortalium ex huiusmodi



iufmodi fupplicio perciperet. Quò enim temperamentum corporis eft nobilif, & maior fenfuum vigor, eo quoque dolor ex illato fupplicio eft acerbior. Hinc videmus, nonnullos, quibus tangendi fenfus eft acrior, ex tactu rei calidæ, vel icu flagelli, intolerabilem percipere dolorem: alios, in quibus ifte fenfus eft ftupidior, ex iifdem rebus exiguum vel pene nullum. Quare cum ille fenfus in Domino ob fummam perfectionem temperamenti & fpirituum fuerit exactiffimus, neceffe eft dolorem quoque fuiife maximum, qui homini tali genere fupplicij poffit irrogari. Vnde valde credibile eft fuiife maiorem & acriorem, quam vnuquam aliquis Martyrum pertulerit. Etsi enim fupplicium ignis videtur immanius quam flagellorum; tamen potèft in aliquo tanta eife fenfuum acrimonia, vt ipfi fint acerbiora flagella, quam aliis ignis incendia. Accedit, quòd doloris acerbitas ex flagellis vel igne in aliis fi continuetur, obftupefaciat fenfum, ita vt poft breue tempus non tantopere percipiatur; idque partim euafcentibus fpiritibus in parte quæ affligitur; partim concurrentibus ad cerebrum humoribus, & principia neruorum occupantibus; vt, fpiritus, fine quibus non eft fenfus, diffundi nequeant. Quam ob caufam apoplectici & comate affecti nihil fentiunt. At in Domino neutrum horum fuit: perftitit enim ille fenfuum vigor ab initio vique ad extremum, ipfa anima fua potentia vel Diuinitate corpus illud ita regente, & interiorius conferuante, vt plura pati poffet: cuius fignum eft, quòd clamans expirauit. Non ergo fenfim ita extreme debilitatus eft tormentis, vt alij folent; fed retinuit vires aliquas fupra naturæ conditionem, eafque dum tempus fuit, fimul effluere cum anima permiffit. Quod etiam fignificat Dominus cum ait: *Nemo tollit eam* [animam] *à me, fed ego pono eam à meipfo, & poteftatem habeo ponendi eam; & poteftatem habeo iterum fumendi eam.* Vires ergo retinuit & vigorem fenfuum vique ad mortem, ficque non minus fupplicij, in progressu & in fine quam in principio fenfit; fed toto tempore paffionis fuos & acerrimos dolores ex tormentis illis percepit. Vnde merito Ifaias: *Vidimus eum de fpectum, & nouiffimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem.* & Pfal. 37. *Quoniam ego in flagellis paratus fum, & dolor meus in confpectu meo femper.*

Ioan. 10.

Ifaiæ 53.  
Pfal. 37.

141 Tertiò, *Coronatione.* Domino enim flagellis immaniffimè toto corpore concifo, & fanguine manante, ne vel caput doloribus liberum relinqueretur, coronam ex fpinis acutis & robuftis contextam (paliurum quidam fuiife putant, alij fpinam marinam, horrendis  
vtra-



utraque aculeis) imponant, & magna vi in caput adigunt, vt firmiter adhaereat. qua in re & acerrimi fuere dolores, & summa ignominia. Dolores, quia cutis capitis, totumque pericranium in orbem cum suprema frontis parte spiculis coronae confixa fuere & perforata. In istis autem locis sensus est acerrimus, vt experientia constat, cum vel leuiter pungitur. Quanti igitur dolores ex tot & tantis puncturis in capite tam sano, tam nobili temperamento, tanto sensuum vigore praedito. Accedebant percussiones sacri capitis, quibus aculei illi magis magisque adigebantur & infigebantur.

Math. 27. *Percussiebant enim arundine caput eius.* Iam de ignominia quid dicam? nulla enim animo maior comprehendi potest, quam quae Domino hic irrogata. Coronatur Rex caeli & terrae ad publicam infamiam, tamquam iniquus & ambitiosus regni temporalis aucupator: coronatur spinis ad dolorem, quasi nulla alia corona dignus: induitur veste coccinea veteri ac sordida, veluti regali amictu: & inseritur manui arundo in speciem sceptri, ad augmentum dedecoris. Denique, tamquam regio habitu pulchre instructus, per summum ludibrium adoratur genu flexo cum amara salutatione, & *Aue Rex Iudeorum.* & mox ad extremum contemptum & vilipensionem, conspuitur in faciem, percutitur arundine in caput, caeditur alapis, protruditur pedibus, illuditur, blasphematur, & infinitis sannis, irrisionibus, sarcasmis, cachinnis cum ingenti strepitu & insolentia exagitur, tamquam omnium mortalium scelerosissimus, ambitiosissimus & vilissimus. Et quidem videntur haec omnia milites suo arbitratu, Iudeorum instinctu, absque iudicis sententia fecisse: nimirum tam vilis tamque nihili aestimabatur, vt contra morem omnium tribunalium, libidini & licentiae militari relinqueretur, quasi crimen ipsius tam grande esset, vt nihil atrocitatis vel ignominiae posset in eum a quoquam effundi, quod non mereretur, magnitudine sceleris omnem supplicij & dedecoris modum excedente. Quam vere de se per Prophetam dixit: *Ego vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* Quis enim hominum post homines natos ita fuit aliquando tractatus? quis ita arbitrio carnificum concessus? quis vquam reus in ipsa suppliciorum acerbitate tam inhumaniter illusus, irrisus, exagitur? Omnes enim tunc miserari potius & compati, quam illudere solent. Sed voluit Dominus, vt nobis praeberet exemplum patientiae, supra omne exemplum pati; & vt ostenderet nobis immensitatem nostrarum offensionum, supra omnem mensuram representare satisfactionem.

Quar-

Psalm. 139.



142 *Quartò, Crucis baiulatione.* Hæc fuit imposita & ad ignominiam, & ad tormentum. *Ad ignominiam:* quid enim potest esse ignominiosius, quam damnatum ad infame genus mortis, cogi etiam ipsum supplicij instrumentum suis humeris deferre, nulla poenarum præcedentium habita ratione? quasi ipse indignus sit, qui vel à iumentis in ea re iuuetur, aut instrumentum destinatione supplicij & contagio personæ adeò maledictum & contaminatum, ut nemini præter fontem conueniret illud attingere. Vnde etiam cum Dominus sub pondere fatisceret, nullus ludæorum admouit manum, tamquam metuens pollui ab infami ligno; sed quemdam gentilem Simonem Cyrenæum coegerunt post Dominum deferre. Et apud Romanos non nisi sceleratissimis seruis imponebant, quasi nemo tanti dedecoris nota esset afficiendus, nisi in quo summa conditionis vilitas cum summis sceleribus coniuncta foret. Idem ipsi voluerunt hæc ratione significare in Domino. Summum itaque contemptum, summum dedecus continebat hæc baiulatio. *Ad tormentum:* ingens enim tormentum est, corpore toto flagellis secto, sanguine defæcto, & capite tot spinarum aculeis confixo, tanto pondere asperæ trabis onerari, cogique tam longo itinere eam suis humeris deferre: neque lento passu incedere licebat, aut quietem subinde respirandi causâ capere, sed vel fustibus vel stimulis (vt apud Romanos serui cum ad crucem adigebantur) impellatur, vel funibus raptabatur, vel pedibus calcibusque protrudabatur ad properandum & sequendum comitatum. Ibat igitur mansuetus ille agnus sudore & sanguine madens, dehiscens præ labore & corporis contentione vulneribus: ibat tacitus & anhelus, mole crucis incuruus, & in terram depressus, in saxa & aspera offensus, & interdum sub pondere concidens, toto corpore grauiter colliso. Ibat inimicis circumstans, sicut ovis lupis; ipsis plaudentibus & insultantibus, crudelitate militari Dominum impellente, protrudente, raptante, & pugnis ac fustibus malè mulctante. Denique tanta fuit hæc afflictio, vt eam ulterius procedere non posset, alium ei substituere sint coacti, non misericordiæ affectu, non aliquo humanitatis sensu, sed ne viridis planè exhaustis, crucis supplicium sustinere non posset: nimirum vt hæc breui relaxatione ad productius & maius supplicium seruetur, quò rabies illa immensa, qua in ipsum ferebantur, posset exsatiari.

*Crucis deportatio.**Matth. 27.**Lipsius l. 1.**De Cruce**c. 12.**Lipsius l. 1.**c. 6.*

143 *Quintò, In ipsa crucifixione.* In hac quoque & summum probrum, & summum tormentum; vt merito censeri possit omnium

*Crucifixio.*

Sf

nium



Deut. 21.  
Lipsius lib. 1.  
De Cruce,  
cap. 12.

Lipsius lib. 2.  
De Cruce,  
cap. 1.

nium suppliciorum maximum. Quod enim ad probrum attinet, nullum supplicium magis infame, aut magis abominandum: nam & apud Iudæos *maledictus*, id est, detestandus & execrabilis erat *Deo omnis qui pendet in ligno.* & apud Romanos non nisi infimæ sortis hominibus, id est seruis, iisque extremè sceleratis irrogari solet, unde & *supplicium seruire* vocatum est. Tormento quoque & sensu dōioris cetera superat, etsi enim pœna ignis videatur acrior, crucis tamen longè est diuturnior, vt hac ratione etiam multis ignibus æquari possit. Hinc veteres hoc supplicium peculiariter vocarunt *summum & supplicium supremum*, (quasi maius illo reperiri nequeat) & ignis supplicio prætulerunt. Dominus igitur noster, qui omnium probra & culpas in se transfulerat, vt copiosum exhiberet lytron, elegit supplicia & ad contumeliã probrosissima, & ad sensum doloris asperissima. Vt scilicet igitur in rupe Caluaria, publico suppliciorum loco, coram infinita hominum multitudine rursus exiit, nudus cruci imponitur, coaptatur, extenditur, manus clavis validis vi malleorum transfiguntur, rumpuntur nerui, venæ, arteriæ, & vnà cum carne in foramina crucis adiguntur, fit magna sanguinis effusio, & brachiorum violenta ex neruorum punctione conuulsio. Hinc venitur ad pedes: trahuntur iniecto fune magna vi ad foramen paratum, fit corporis totius valida extensio, apparent costæ & ossa corporis diuisa, dissiliunt sectæ cutis & carnis vulnera, rursus sanguinis copia effunditur, tandem malleorum ictibus sacri pedum vtri clavis transuerberantur, crucique affiguntur, abruptis vnà cum carne neruis, venis, & arteriis, quarum ibi præcipuus concursus. Denique in altum erigitur, & solo non sine ingenti concussionem depangitur, iucque tres horas colluctans extremis illis tormentis, viuus persistit. Quis æstimet doloris, quem Dominus hic sustinuit, immentitatem? nam præterquam quod in manibus & pedibus maximè sensus, ob neruorum exigentiam, vigeat; hæc non tam fuere incisa, quam vi disrupta & diuisa, & simul artissimè compressa & affixa. Multò autem maior est dolor in disruptione & compressione, quam in incisione. Deinde hic dolor, pondere corporis assidue deorsum trahente, factus est sensum etiam auctior. Quod enim quis diutius pendet, etsi non perfoctus clavisque affixus, sed solum ex brachio ligatus, hoc maiores sentit dolores, adè vt tandem fiant intolerabiles, vt ex tortura reorum constat: sic enim malefici torqueri solent, vt crimen vel socios fateantur. Quantus ergo dolor erit manibus pedi-



pedibusque confixis, diruptis, affixis, & appressis immiti ligno, præfertim in tam sano corpore, in tam nobili corporis temperamento, tantaque sensuum perfectione & vigore? Accedit vulnerum totius corporis concili diuulsio, apertio, & renouatio: accedunt spineæ coronæ ad crucem offensiones, quibus aculei impulsi latiores & profundiores fecere puncturas. Denique totius corporis instar chordæ in arcum valida extensio, ita ut omnia ossa, testimonio Propheta, dinumerari potuerint; quæ extensio vel sola ad summum tormentum sufficit, ut equulei testantur. Hos omnes dolores simul sustinuit, & quidem pro inimicis, & iisipis qui illos irrogabant; non ut ab illis aliquid commodi perciperet, sed ut debitum eorum, quod illi soluere non poterant, deponderet; & chirographum, quo morti & inferno obstringebantur, deleteret, ut ab exitio æterno, cui iam pridem addicti erant, eximeret, & vitam, salutem, ac gloriam sempiternam conciliaret. Quid ad tantam benignitatem, ad tam inauditam & ineffabilem misericordiam addi potest, per quam non solum infinita mala à nobis depulsa, & infinita bona procurata, sed etiam tam miris tamque difficilibus modis, cum tanta Diuinitatis exinanitione, & ut ita dixerim, incommodo; cum tantis laboribus, doloribus, ac diuinorum bonorum expensis; exhausto in id pretio immenso, vita nimirum & sanguine filij Dei; idque pro ingratis & inimicis!

Psalm. 21.

## CAPVT XVII.

*De particularibus beneficiis.*

144 **H**ÆC de generalibus diuinæ misericordiæ beneficiis, quæ ad omnes homines pertinent: nunc breuiter dicendum de specialibus, quæ cuique in particulari impensa. Inter quæ primo loco ponatur, quod aureo hoc sæculo, nempe tempore gratiæ, nasci nos voluit, non tempore Legis veteris aut naturæ. Magna tunc erat rerum diuinarum ignoratio, magna gratiæ cælestis & donorum salutarium inopia. Dominabatur pænè toto orbe diabolus tamquam in proprio regno, & loco diuini Numinis colebatur. Hic pro suo arbitratu videbatur regere omnia. hinc fiebat ut paucissimi ex immenso mortalium numero salutem consequerentur, omnibus pænè in sempiternum exitium ruentibus. Infelix planè sæculum, & omnino ferreum, etsi deliciis carnis & diuitiis sæcularibus, huma-

Particularia beneficia.

Primum, Quod nasci suo gratiæ.

Discrimen vtriusque sæculi.

Sf 2 naque



naque gloria apud quasdam gentes, quae Monarchiam obtinebant affluentissimum. Quid, si tunc nati fuisset, & stadium huius vitae nobis decurrendum fuisset, potuissetne in tantis tenebris, in tanta naturae & morum prauitate, in tanta caelestis auxilij inopia, & diaboli potentia, aeternam mortem euadere, & salutem adipisci? Valde credibile est, tam paruis praesidiis, fultos, & tot machinis impulsos, lapsuros, & communis consuetudinis aestu abreptos in exitium praecipitandos. Praesciebat hoc Dominus, & praue nit nos ab aeterno misericordiae suae benigno proposito, ex infinita hominum multitudine nos seligens, ac nostros natales vitaeque, cursum in tempus gratiae referens. tempus, inquam, gratiae, saeculum verè aureum, vel potius gemmeum, quo tenebrae infidelitatis discussae, idololatria sublata, principatus diaboli depressus, caelum apertum, diuina misericordia patefacta, via salutis propalata: saeculum, quo tam eximium offertur Sacrificium, tam diuina participatur Hostia, & tam efficacia suppetunt Sacramenta; quo tanta est vbertas diuinæ gratiae, tanta facilitas reconciliationis, tanta facultas merendi, tanta subsidia perseverandi, tanta commoditas singulis paene momentis caelestem augendi coronam: saeculum, quod melliflui sunt caeli, quo montes stillant dulcedinem, & colles lacte & melle manant; quo singulis horis exiguo labore & minutis operibus nostris possumus inestimabiles & aeternas diuitias accumulare. Magna itaque est felicitas, hoc auro natum esse, magnum beneficium, pro quo infinitae Deo gratiae sunt agenda.

*Secundum,  
Quod nati à  
Christianis.*

Secundo, Quod nati à parentibus Christianis, & Christianè educati. Non minus est istud beneficium quàm prius. Quid enim profuisset nasci tempore lucis & gratiae, si ipsi inter tenebras in medio infidelitatis inter Brasilios, Indos, vel Caphros editi fuisset? Non enim fuisset participes lucis & bonorum huius aui aurei, sed in pristini saeculi miserrima sorte, hoc est, in ignorantia diuini Numinis & salutaris viae, atque in omnium vitiorum colluue cum certissima damnationis aeternae expectatione mansisset. Neque putet quis ex naturae cursu potius quàm ex diuinæ prouidentiae decreto & designatione prouenire, quod hic ex illo, iste ex alio parente nascatur, tali dispositione corporis talem animam non aliam postulante. Non ita est: nulla enim est dispositio in embryone, nulla qualitatuum syndrome in corpusculo animando, cui non sint aptae infinitae animae ex iis, quae in thesauris diuinæ sapientiae & potentiae sunt reconditae. Imò valde verisimile est, quamuis dispositionem

*Ex diuino  
beneficio  
in prouenire.*



corporis humani completam in vtero cuius anime rationali aptam esse, & posita tali dispositione, quamuis infundi posse. Quod probari potest Primò, ex resurrectione. Maior enim est discrepantia inter dispositiones vltimas corporis nascentis & resurgentis, quam inter dispositiones vltimas omnium nascentium: atqui eidem anime infundendæ aptæ sunt & congruæ non solum dispositiones corporis sui nascentis, sed etiam resurgentis: ergo etiam omnes dispositiones nascentium illi aptæ erunt, & ad eos infundi poterit. Deinde, Sapientia 8. dicitur: *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.* vbi Salomon tamquam singulare beneficium Dei refert, sortitum esse *animam bonam*, id est ingeniosam, & ad bonum procliuem, quasi eidem corpori potuerit infundi minus bona, minus ingeniosa. Ergo id non pendet ex dispositione corporis, sed ex Dei electione, qui pro suo beneplacito præstantiorem vel minus præstantem animam infundit. Quod enim animæ, etsi sint eiusdem speciei communis, multum inter se discrepent perfectione substantiali indiuidua, mihi valde credibile. Idem dixerim de Angelis eadem specie communi comprehensis. Nam si inter corpora humana tanta est diuersitas, vt in tant innumerabili multitudine vix sit duo reperire vultu & temperamento planè similia; cur non idem putemus de multitudine animarum? Amat enim natura in rebus varietatem, & quantum potest, fugit paritatem. Cerne-re id est ferè in omnibus indiuiduis animantium & plantarum. An fortè spiritalis natura non est capax tantæ varietatis, quanta corporalis? Meo sensu etiam longè maioris capacem dixerim, non solum in speciebus, sed etiam in eiusdem speciei indiuiduis, de quo alibi fortè erit dicendi locus. Tertio, Sæpè videmus in pessimo corpore optimam animam, & in optimo corpore pessimam animam: homines enim vitiosi temperamenti, interdum sunt præstantis ingenij, & ad omnem virtutem expediti; & contra nonnulli probissimi temperamenti, sunt stupidi, & ad virtutem minus idonei. Non ergo conditio animæ sequitur corporis temperamentum, neque anima sui corporis temperamento ita est addicta & veluti comensata, vt non alius temperamenti possit accommodari.

Ex his concludo: Cum animæ omnes creentur à solo Deo, nulla creatura cooperante, formato in vtero materno corpusculo, posse Deum quamuis animam creare, & illi infundere; neque ad hanc vel illam animam creandam potius quàm ad aliam à dispo-

Sf 3

sitione

*Eadem dispositio corporis innumeris animis accommodata.*

*Animarum disparitas.*



sitione corporis, sed à suo beneplacito determinari. Beneficium ergo ingens in eo recognoscendum, & misericordiae diuinæ impu-  
tandum, quòd non ab infidelibus, sicut alij innumerabiles; sed à  
fidelibus, & inter fideles nati sumus; vbi & Baptismum & Chri-  
stianam institutionem consecuti, & viam salutis ab infantia edo-  
cti. Quantum est discriminis inter sortem barbarorum & Chri-  
stianorum? Illi destituti cognitione Dei, & futurorum bonorum  
ac malorum, totiusque semitæ salutis æternæ ac mortis, destituti  
beneficio redemptionis Christi, in omni vitiorum fœditate volu-  
tantur, absque vlla propemodum spe damnationis æternæ eua-  
dendæ. nos autem per Baptismum abluti, & Christo insiti, facti  
sumus heredes vitæ æternæ; & luce caelestis doctrinæ collustrati,  
nouimus viam salutis, & per illam, mirandis adiuti præsidii, ma-  
gna fiducia ad æternam vitam contendimus. Sanè beneficium hoc  
tam ingens est, vt nec verbis explicari, nec mente humana possit  
comprehendi.

*Præseruatio  
ab hæresi.*

Tertium beneficium, Quòd ab hæresi in primis, & ab aliis in-  
numeris peccatis præseruati. Monuit Dominus, & post Dominum  
Apostoli, venturos *nonisimis temporibus seductores & falsos prophe-  
tas*, vt ab illis diligentissimè caueremus. Succreuerunt illi nostris  
temporibus vberimè vt herba irrigua, diaboli satù & cultura.  
Multa centena hominum millia ab illis seducta, & seducuntur in-  
dies plurimi. Ingentia sunt huius ætatis pericula, præsertim iis qui  
intè: tale genus hominum degunt, & cum illis aliquando versan-  
tur. nam *sermo eorum vt cancer serpit*, integra regna breui per-  
uadens, & instar flammæ omne bonum depascens, ipsis etiam fun-  
damentis salutis penitus absumptis. Felices quos diuina misericor-  
dia ab hoc ~~periculo~~ præstitit immunes. Considera miseriam eo-  
rum qui in hoc barathrum ceciderunt: tenebras nefandas caele-  
stem putant lucem, & lucem tenebras; errores exitiales veritatem  
salutarem, & ipsam veritatem censent errorem: præcipitium in-  
fernum viam salutis vocant, & verum salutis iter mortis compen-  
dium: secus se putant vitæ beatæ, cum certissima sit eorum dam-  
natio, nisi perfidiam deponant: malum amplectuntur loco boni,  
& verum bonum instar mali detestantur. Denique eò magis insa-  
nabiles, quòd infinita quadam vel superbia vel vecordia sensum  
suum omnium sæculorum præteritorum & totius Ecclesiæ Catho-  
licæ iudicio anteponunt, tamquam ipsis solis sapere sit concessum,  
& sancti Patres Doctoresque præci & neoterici sint fungi vel pepo-  
nes.

1. Tim. 2.



nes. Ex magnitudine huius mali, & periculis huius aui, estimanda est illius beneficii magnitudo, Deo que infinita gratia agenda. Neque solum quod ab infidelitate, sed etiam, quod ab aliis innumeris peccatis praeferuati, in qua nisi diuina misericordia singulari cura & prouidentia nos praeuenisset & custodisset, eramus prolapsuri. Nullum enim peccatum facit homo, quod non faceret alius homo, nisi eum custodiret qui pro ipso factus est homo. Quid enim diabolus in nos in tanta naturae imbecillitate & prauitate non posset, nisi diuina bonitas nostri misera nos protegeret, & suae gratiae auxilio corroboraret & iuaret? Itaque diuinæ misericordiae assignanda non tantum opera bona quae facimus, sed etiam effugia malorum quae vitamus.

147 Quartum beneficium, Quod à multis damnationis aeternae periculis erepti, & ad poenitentiam & salutem reseruati. Cogita quoties gehennam sis commeritus, quoties iram diuinam & caeleste fulmen in caput tuum accerferis, & tamen Dominum tibi pepercisse, vitamque prorogasse, & tempus concessisse poenitentiae, quod aliis innumeris qui minores peccauerant, est negatum. Sunt enim innumerabiles aeternis incendiis addicti, qui tamen paucioribus quam tu peccatis fuere obnoxij. Quid diuinæ clementiae pro tanta rependes indulgentia? Toties enim ab inferorum faucibus liberasse censeri debet, quoties te id merentem non praecipitauit, quoties tibi praeter aliis infinitis te melioribus seu minus malis pepercisse, & culpas emendandi tempus concessit? Vide ergo ne illud Apostoli ad Rom. 2. in te locum habeat: *An diuitias bonitatis eius (Dei) & Rom. 2. patientiae & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem dixit: ...nam & impenitens cor thesaurizat tibi iram in die ira & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet unicuique secundum opera eius. & illud Iob 24. Dedit ei Deus locum poenitentiae, & ille abutitur eo in superbiam. Quis que cogitet quoties id à se factum, & diuinæ misericordiae parcendi se obstrictum aeternum fateatur.*

*A periculis damnationis ereptio.*

*Rom. 2.*

*Educatio in literis.*

148 Quintum beneficium, Quod in literis educatus, & insignem rerum diuinarum & salutarium notitiam adeptus. Hoc maxime pertinet ad Theologos: estque sanè magnum Dei beneficium, quod non ad artem aliquam sordidam ac infimam, non ad quaestus empiricos, non ad militiae saeva & periculosa exercitia, non ad vana & saluti inutilia vel noxia studia diuina prouidentia mentem tuam inflexerit, sed ad studia nobilium disciplinarum, ad animi cul-



cultum & ornatum, quæ rebus corporalibus longè antecellit. Philosophicæ enim disciplinæ mentem rebus humanis celsiorem, & ad omnem virtutem aptiorem reddunt, gradumque ad Dei cognitionem & amorem struunt. sed in his non stetit, ulterius te prouexit, & ad diuinorum eloquiorum intelligentiam - ad suorum mysteriorum & salutarium dogmatum scientiam perduxit; vt ea & distinctius conciperes, & clariùs cognosceres, & firmitus crederes, & fortius retineres, & efficacius ad omnis operis boni praxim apprehenderes, vtque iam non solùm crederes, sed etiam quodammodò videres Religionis nostræ veritatem & eminentiam, teque rectum & securum salutis iter tenere. Neque tibi soli saperes, sed etiam in alios hanc lucem posses transfundere, & omnes hæreseon errores illi aduersantes refutare & pessum dare. Hæc est vera illa sapientia, omni auro & gemmis pretiosior, omnibus honoribus & sceptris eminentior, cui nulla res huius mundi valet comparari; contra quam cetera quæ homines magni æstimant, diuitias, honores, voluptates carnis, in libella veritatis & diuini iudicij nullius sunt ponderis aut momenti, sed mera vanitas, & ipsa vanitate leuiora. Magnum itaque hoc est beneficium, paucioribus indultum, magni solatij, & fructus eximij.

*Sacerdotiū.*

Sextum beneficium, Quod ad Sacerdotium noui Testamenti <sup>149</sup> euectus. Hoc ad omnes Sacerdotes præcipuè pertinet. Nihil maius vquam vlli creaturæ in cælo aut in terra collatum. Quid enim maius esse potest, quàm posse peccata remittere, iniurias Dei condonare, impios Deo reconciliare, animas ex faucibus inferni eripere, ex filiis iræ filios Dei creare, spiritum adoptionis infundere, ius cælestis regni amissum restituere; & quod his omnibus est admirabilius, diuinissimam illam hostiam consecrare, Corpus & Sanguinem Christi (iuncta anima & vnione Verbi) conficere, & sui Conditoris, vt ita dixerim, esse conditorem & auctorem, aliaque stupenda, quæ huic mysterio implicata, patrare, & diuinum Numen humanis rebus conciliare. Nihil sanè his admirabilius aut grandius animo coacipi potest: non enim minùs est mirabilis aut difficilis peccati remissio, impij sanctificatio, hominis deificatio, Corporis Christi consecratio, quàm cæli & terræ creatio; omnia enim infinitam virtutem & auctoritatem requirunt. Hæc tamen potestas non Patriarchis aut Prophetis, non Angelis aut Archangelis, non Cherubinis aut Seraphinis nobilissimis purissimisque spiritibus, non ipsi denique Dei Matri sanctissimæ concessa est; sed tibi

in-



indigno, terreno, luteo, peccatori, præ aliis innumeris te melioribus diuina miseratione indulta.

Septimum beneficium fit pro Religiosis, Quòd ad Religionem adductus. Magnum est hoc & inæstimabile beneficium, quibus ea fors obtigit: est enim consilium Christi magni Doctoris nostri, prioribus sæculis absconditum; mundo quidem ignotum & paradoxum, sed sapientiæ & fructus plenissimum. Magni solatij est Romani, si consilius sibi fit, quòd consilium Dei fit secutus. Verùm de hoc beneficio satis dictum in Tractatu De statu vitæ deligendo, quæst. vltima.

*Statu Religionis.*

## CAPYT XIX.

*Quid rependendum Deo pro tanta misericordia.*

150 **E**XPOSITIS summatim generalibus & specialibus misericordiarum diuinarum in nos beneficiorum (de præcipuis loquor) superest vt dicamus breuiter quid debeamus tantæ benignitati pro tot tamque inæstimabilibus & immensis bonis rependere, ne ingratitude vitium incurramus; quod sanè vitium est pessimum & salutis peremptorium. Nam vt S. Bernardus Serm. 51. in Cantica ait: *Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus vrens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiarum, fluentia gratiarum.* Hoc vt euitemus, quatuor potissimum à nobis gratitudo, quæ ei reperimus, deposcit: *memoriam, amorem, seruitutem seu obsequium, & perpetuam cum gratiarum actione laudem.* Hæc ordine ex virtute gratitudinis sequuntur, & per hæc quo potest modo beneficia accepta compensat.

*Ingratitudinis malum.*

*Quatuor rependenda.*

Primum quod rependi debet, est *beneficij memoria.* Nihil sanè minus referri potest benefactori, quàm memoria beneficij, qua is qui accepit, illud sibi gratum esse, & à se æstimari ostendit. Vnde ingratus est, qui beneficij accepti ne recordatur quidem, aut ad memoriam aliquando reuertat. Indicat enim eo neglectu, se illud parui aut nihili ducere, nec mereri vt eius consideratione animum occupet. Tales sunt hodie innumeri, qui ita rebus infimis sunt immergi, & in omnia alia intenti, vt vix vquam de diuinis beneficiis, nisi fortè obiter, cogitent; quasi hæc terrena & pereuntia sint maioris meriti quàm illa, quæ Dominus vel nobis contulit, vel pro nobis gessit, vel nobis promissit. O viles & cæcæ animas!

*Primum Memoria.*

T t itane



itane mundi huius præigiis estis fascinata, vt tanta beneficia tam parui pendatis, & temporalia ista vana & plerumque noxia illis anteponatis? Sed cuique hic considerandum non tam quid agant, quam quid ipsemet hac in re præstiterit, & quid præstare debeat, nimirum quam parum diuina beneficia recoluerit, quam raro, quam obiter de illis cogitarit, quam parui aestimauerit, quam in omnia alia intentus, in studia, in ludos, in honores, in sua commoda, in officia vel beneficia acquirenda, neque solum se immemorem præstiterit beneficiorum, sed etiam maleficia & iniurias Deo pro illis rependerit. qui sane summus est ingratitude gradus. Hæc ubi in seprehenderit, doleat quamprimùm, & emendet firmo proposito assidua commemoracione, vt nullus dies absque huiusmodi aliqua consideracione & gratiarum actione effluat. Et quia nulla mens creata par est tantæ rei præ dignitate considerandæ, ideo non segniter aut obiter, sed intentissima animi speculatione incumbendum, examinatis circumstantiis personarum, locorum, temporum, finis, modi, mediocritatis, causarum, effectuum, adhibitis exemplis & comparacionibus similium & dissimilium, ratiocinatione, analogico ascensu, vt mens, quantum fas est, magnitudinem beneficiorum Dei percipiat, sibi que ita informet animo, vt nunquam excidant, fructumque vberimum ex suauissima illorum memoria colligat.

*Secundum,  
Amor.*

*Amore fit  
compensatio  
per affectum.*

Secundum quod debemus rependere, est amor in benefactorum rem. Cum enim nihil dignum in vicem tantorum beneficiorum re ipsa possimus præstare, par est vt saltem affectu compensemus. Hoc autem fit amore, qui bonum quod conferre non potest, vel gratulatur si adsit, vel optat si desit, vel procurat si potest. Sed quomodo hunc amoris ignem in nobis accendemus? Beneficiorum attenta & assidua cõmentacione. Sicut enim solis radij speculo excepti, & in vnũ collecti, calorem ingentem & etiam ignem excitant; ita diuina beneficia mente collecta, & attentius considerata, feruorem charitatis & amoris celestem ignem in cordibus nostris accendunt. Vnde cõtemplatiui docent, non esse efficaciorẽ rationẽ ad extaticum amorem, quo mens à sensibus adducta in Deũ veluti liquefcit, pertingendi, quam per diuinorum beneficiorum consideracionem.

*In consideracione beneficiorum Dei tria expendenda.*

*Nostra indignitas.*

In hac consideracione tria potissimum expendenda, nostra indignitas, Dei eminentia, beneficiorum magnitudo. Et quamuis hæc supra satis persecuti simus, hic tamen breuiter, quasi per anacephalæosin, ob oculos ponenda.

Primò, Nostra indignitas, tum ratione naturæ, tum ratione pecca-



peccati, nempe quòd ex nihilo, quòd ex nobis nihil sumus, quòd in nihilum semper propendemus, quòd in finem naturæ rationalis terminus, quòd bestiis affines & terrenis addicti, quòd mente cæci, & semper in malum proni; quòd filij iræ, inimici Dei, omni eius beneuolentia & fauore indigni; quòd æternæ morti & inferno carceri ratione peccatorum nostrorum addicti.

Secundò, Dei eminentia, cuius essentia, infinitas; magnitudo, immensitas; vita, æternitas; status, immutabilitas; cuius virtus, omnipotentia; amor, sanctitas; beneuolentia, vita æterna; ira, mors æterna: cuius imperio subsistunt omnia, cuius prouidentia omnia conseruantur, & in suos diriguntur fines; cuius palmo concluduntur omnia, & in nihilo suspensa continentur; cuius comparatione vniuersitas rerum est instar puncti, vel potiùs instar nihili. Hic igitur talis ac tantus nobis tam pusillis & tam nihili creaturis, tam indignis & ingratis tam immensa beneficia contulit.

153 Tertio loco spectanda ipsa beneficia. Primò quidem, quòd cum non essemus, & æterno retrò tempore in tenebris non-entis delituissimus, sine vita, sine specie, sine esse, ex nihilo mirabiliter condiderit, quòd ad imaginem sui formarit, quòd Diuinitatis & gloriæ suæ capaces fecerit, quòd hunc mundum, cum omnibus suis opibus, ornamentis & commodis in nostrum vsum, obsequium, & solatium fabricarit, quòd cælestes spiritus in custodes & pædagogos nobis assignauerit, quòd ad æternam vitam & gloriæ suæ consortium nos destinauerit, facillimis ad hoc attributis adiuuiculis. Deinde cum per peccatum à prima illa status felicitate in exitium lapsi essemus, quòd rursus nostri misertus, ab æterna morte redemerit, quòd ex inimicis filios Dei constituerit, quòd ius cælestis hereditatis nobis instaurarit, quòd nostra causa formam serui induerit, & nostræ naturæ infirmitates susceperit; quòd tot tantosque labores, & dolores, & contumelias, & probra pertulerit, quòd vincula, flagella, sputa, alapas, coronam spineam, clauorum perfossionem, denique crucem, & mortem cum infinito cruciatu sustinuerit; quòd immensum suorum meritorum thesaurum nobis ad perpetuam reconciliationem reliquerit, quòd Corpus & Sanguinem suum in Sacrificium propitiationis & in alimentum immortalitatis nobis legauerit, quòd tam facilibus & efficacibus salutis remediis (Sacramentis inquam saluberrimis) nos instruxerit. & hæc quidem omnibus sunt cõmunia.

154 Postremò consideranda quoque particularia quæ cuiuslibet præ

*Dei eminentia.*

*Beneficia diuina generalia.*

*Consideratio particularium beneficiorum.*



innumeris aliis præstita, vt quòd à parentibus fidelibus æuo isto beato sis natus, quòd infer fideles & in fide orthodoxa educatus, quòd salutis viam egregie edoctus, quòd ab hæresi præseruatus, & à plurimis dånationis periculis ereptus, quòd infinitis miserationibus præuentus, quòd Sacerdotio ornatus, quòd ad Religionis portum (si fortè hæc tibi bona obtigerūt) adductus, & alia huiusmodi. Ecce breuiter & summarie catalogum beneficiorum Dei. Quanta se aperit in istis misericordie abyssus! quàm immensum benignitatis & dulcedinis pelagus! quàm incomprehensibilis charitas! superant ista & singula eorum omne eloquium, omnem sensum, omnem astimationem, omnem intelligentiam creaturarum omnium.

Ex horum consideratione excitabitur in nobis amor & desiderium Deo vicissim gratificandi, nosque totos in ipsius obsequium & honorem impendendi. Si enim tantus Dominus, tot tamque immensa beneficia, tam miris & arduis modis, nobis tam indignis & ingratis prærogauit, nullius sui commodi, sed nostri dumtaxat boni causa, vt nos ad gloriam suam eueheret; quid erit adeò magnum vel difficile, quod vicissim ad ipsius honorem cultumque augendum præstare non debeamus?

Hinc sequitur tertium, quod ex gratitudine Deo rependere debemus, nempe *seruitutem & obsequium perpetuum*. Et quamuis plurimis titulis Deo nexi & obstricti simus, quibus ipse à nobis eternam seruitutem exigere potest, præcipui tamen sunt decem:

Primus, quod Deo seruitutem debemus est ratione *nostræ creationis*. Ipse enim nos ex nihili tenebris vbi ab æterno delitueramus, in lucem essentiae & naturæ eduxit: ipse ad *imaginem & similitudinem suam* formauit: ipse *ad seipsum* tamquam ad proprium nostrum finem nos condidit & ordinauit. Itaque in hoc titulo triplex ratio debiti continetur; quia triplici modo Deus est causa nostri esse & naturæ; & nos ab illo triplici modo dependemus, nempe tamquam à causa *effeçtrice, exemplari, & finali*. Et hæc dependentia non est accessoria aut extrinsecus adueniens, qualis est dependentia huius domus ab hoc fabro, vel imaginis ab hoc pictore (poterant enim ista æquè ab aliis fieri) sed est omnino intrinseca & essentialis: adeò vt natura nostra sine hac dependentia ne concipi quidem animo aut intelligi perfecte possit. Vnde sequitur ex Creatione, nos essentialiter esse Dei; ac proinde nos ex vi essentiae nostræ eius seruituti obstrictos, idque triplici ratione & nexu. Primò, quia eius opus sumus & figmentum. Secundò, quia eius imago

Obsequium  
perpetuum.

Decem titu-  
lis Deo ob-  
stricti.

Primus  
Creatio.

Triplici mo-  
do à Deo de-  
pendemus.

Triplici  
nexu obstri-  
cti seruituti  
Dei ex vi  
nostræ essen-  
tiae.



imago & imitatio. Tertio, quia ipse noster finis ad cui seruiendum conditi sumus.

157 Singuli isti tituli etiam per se & seorsim spectati, omnem à nobis seruitutem & omne obsequium postulant. Ut enim eius *opus* sumus, longè plus ille in nos iuris habet, quàm dominus in infimum mancipium, & possessor in iumentum, & figulus in testam, & pictor in statuam, & quilibet opifex in suum opus. opifex enim solam externam figuram rebus arte factis tribuit, Deus verò usque ad fundum penetrans rem totam in solidum producit, ei que totum suum esse, totam naturam, speciem, & ornatum intrinsecum tribuit. Quare si dominus de suo iumento, & opifex de suo opere pro arbitrio statuere, & ea prout libet, uti potest: multò magis Deus de nobis & rebus creatis vniuersis. Potest itaque nos extollere & deprimere, percutere & sanare, affligere & consolari, occidere & viuificare, saluare & condemnare: nec quisquam ei dicere potest; Cur sic mecum agis? ipse enim iure suo & re sua utitur, cum ipsius plenissima subiectione, & absolutissimo dominio sint omnia. Hac ratione S. Scriptura passim rerum omnium dominium Deo tribuit, quòd omnia sint ipsius opera & figmenta. *Tui, inquit, sunt cali, & tua est terra, orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundasti. Aquilonem & mare tu creasti.* & Apostolus Paulus: *Deus, qui fecit mundum & omnia que in eo sunt: hic cali & terra cum sit Dominus, &c.*

*Singuli per se sufficiunt ad omnem seruitutem.*

*Psal. 88.*

*Act. 17.*

Quatenus eius *imago*, ita ei subiecti sumus & seruire debemus, sicut imago suo prototypo. Vnde sicut totum imaginis officium, & totus eius vsus ac functio, est, imitari & exprimere in se suum exemplar: ita totum officium hominis est imitari Deum, eiusque perfectiones, nempe sapientiam, charitatem, sanctitatem, mansuetudinem, patientiam, misericordiam & iustitiam, quantum fas est homini in se exprimere & repræsentare. Est enim homo imago Dei, non mortua, sed viua & sui arbitrij, in cuius potestate est, magis vel minus exemplari suo se assimilare. Ex hoc titulo monet Dominus discipulos suos: *Estote perfecti, sicut & Pater vester celestis perfectus est.* nimirum quia filius est imago patris: imago verò suum exemplar imitari & exprimere debet.

*Matth. 5.*

Denique, prout ipse finis noster est, etiam ei summam debemus seruitutem: quamuis nec ab ipso, nec ad ipsius similitudinem esse-mus conditi. Hoc ipso enim quo ex naturæ nostræ conditione ad eius seruitutem instituti sumus, ei seruire debemus non minus



quàm corpus animæ, iumentum domino, vasculum possessori, instrumentum opifici. *Servire Deo* est ipsum cognoscere, timere, amare, honorare, laudare, servare eius præcepta, & omnia ad eius gloriam facere. Hic est finis noster, ad hoc instituti & conditi sumus. Non enim idèd facti sumus, aut in hanc vitam venimus, vt comedamus & bibamus, vt diuitiis, honoribus, voluptatibus huius vitæ ad momentum fruamur, (indigna sunt infima ista & transitoria, in quibus mens nostra summi & æterni boni capax occupatur,) sed vt Deum, bonum infinitum, cognoscamus & amemus, eiusque præcepta ad breue tempus seruando, æternam beatitudinem, quæ in eius clara visione, amore, & fruitione sita est, promereamur. Quod ita esse, ex eo etiam constari potest, quòd finis cuiuslibet rei sit perfectissima eius operatio. Quare cum cognoscere, amare & laudare Deum sit perfectissima operatio hominis tam in hac vita quàm in futura, (vtpote perfectissimæ potentia circa perfectissimum obiectum, & perfectissimo modo, nempe per fidem vel visionem;) perspicuum est id esse vltimum finem hominis.

*Perfectissima  
rei operatio  
est eius finis.*

Ex quibus manifestum est, ex sola creatione nos triplici titulo naturaliter esse Dei seruos, cuique omnem debere famulatum; ita vt nos totos eius obsequio mancipare debeamus, si huic debito vtcumque velimus satisfacere. Primò, quatenus eius sumus figmentum & opificium: secundo, quatenus eius imago & imitatio: tertio, quatenus ad eius seruitutem conditi ex natura nostra, tamquam ad proprium finem nostrum, sumus. Nulla potest fingi aut animo concipi maior subiectio, nulla maior obligatio, nullum arctius aut penitius vinculum seruitutis.

*Secundus,  
Creatio mudi  
& Angelica custodia.*

*Triples hic  
est benefici.*

*Mundus ser-  
uit homini,  
& pro eo la-  
borat assidue.*

Secundus titulus generalis est, ex creatione mundi, & deputatione Angelorum in nostrum obsequium. Deus non solum hominem ad suam imaginem & ad sibi seruiendum condidit, sed etiam condidit hunc mundum & omnia quæ in eo sunt, ad hominis usum & obsequium: insuper Angelicos spiritus, principes Regni sui, ad eius custodiam & directionem deputauit. Triplex hic continetur beneficium. Primum, quòd mundum totamque naturam corpoream in nostrum commodum fabricarit: non enim Angeli mundo egebant, cum absque tota natura corporali felicissime possent viuere, sed hominibus ad innumeros vsus erat necessarius. Secundum, quòd mundum nostra causa non solum fabricatus sit, sed etiam assidue laborare & nobis seruire faciat. Nobis enim gy-  
rantur



rantur cæli, splendet sol, lucent sidera, spirant venti, coguntur nubes, descendunt imbres, assurgunt montes, currunt flumina, mouentur maria, germinat terra, fecundatur aqua, & parturit omnis rerum natura. Hæc omnia nostra causa, vt nobis seruiant & commodent, Deus sic esse, sic moueri & operari iussit. *Ille solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Math. 5. *Ille hominem constituit super opera manuum suarum. Omnia subiecit sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi: volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.* P. al. 8. Tertium est, quod Angelos multo nobis præstantiores ad nostram destinavit tutelam.

159 Triplex hoc beneficium rursus de nouo triplici ratione à nobis seruitutem exigit. Si enim ille totam rerum naturam nostræ seruituti mancipauit, omnis ratio postulat, vt vicissim nos totos illius obsequio mancipemus. Si illius imperio & impulsu totus mundus sine intermissione pro nobis laborat, & nostris commodis noctes diesque seruit, par est vt nos illi tota vita sine intermissione seruiamus; præsertim cum eo ipso quo res creatæ nobis seruiunt, ipsemet nobis seruiat, & pro nobis assidue in creaturis & per creaturas laboret. Illæ enim sunt instrumenta, vt quæ omnem vim suam ab ipso habeant, & sine eius auxilio & cooperatione assidue nihil possint: ipse vero est principalis motor, director & auctor omnium commodorum quæ nobis ex rebus creatis proueniunt. Itaque si Deus ipse continuo pro nobis laborat, vt nostris commodis seruiat: qua fronte nos illi seruire, & pro eius gloria laborare recusabimus? Denique, si etiam principes Regni sui nostris commodis seruire voluit, quod tandem genus seruitutis & obsequij ei non debeamus? præsertim cum hæc omnia in eum finem nobis præstiterit, vt nos ad suum obsequium alliceret. in hoc enim consistit omne bonum nostrum. Deo seruire, regnare est, & omnibus mundi regnis præstantius & amabilius. Itaque omnis ratio, omnis æquitas postulat vt ei nos totos consecremus, qui vniuersam rerum naturam vnà cum cælestibus spiritibus in nostrum obsequium, commodum, & salutem mancipauit.

160 Tertius titulus generalis est ratione *conseruationis*. Conseruatio enim rerum non minus beneficium est, quàm prima creatio, cum nihil sit aliud quàm creationis continuatio. Nam per illam operationem qua Deus omnia intimè continet & conseruat, continenter dat quod ab initio semel datum est. Non enim ita res factæ sunt,

*Triplici ratione exigit seruitutem.*

*Deus per creaturas pro nobis assidue laborat.*

*Tertius. Conseruatio.*



sunt, ut possint per se consistere, sicut de mus, & pictura vel statua semel facta, absente artifice per se stat: sed opus est continuo influxu quo singulis momentis detur quod semel datum est; alioquin omnia in nihilum euanescerent. Si ergo singulis momentis Deus confert totum illud bonum quod semel dedit: profecto singulis momentis nos obstringit ad suum obsequium. Non enim naturæ necessitate aut coactè, sed liberè & mera benignitate nos conferuat; cum singulis momentis potentia suæ manum qua nos sustentat, possit subtrahere, & sinere nos recidere in nihilum nostrum. Itaque libera illa tanti beneficii continuatio singulis momentis est instar noui beneficii, & nouam ac continuam seruitutis obligationem inducit. Quare ratione conseruationis non minus toti sumus Dei, nec minus ei subiecti, & ad eius seruitutem obstricti, quàm ratione creatiouis. Tres istos hactenus commemoratos titulos complexus est S. Bernardus Serm. De quadruplici debito, his verbis: *Ecce in ianuis est qui fecit celum & terram, & creator tuus est, tu creatura; tu seruus, ille dominus; ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes à quo totum habes, qui & te fecit & benefecit tibi, qui tibi ministrat sacrum cursus, aeris temperiem, fecunditatem terre, fructuum ubertatem. Huic reuera totis medullis, totis viribus seruiendum, ne forte indignationis oculo te respiciat, & despicat, & conterat in æternum.* Hæc ille.

Quartus,  
Liberatio à  
triplici ser-  
uitute.

Quartus est ratione liberationis à seruitute peccati, mortis, & diaboli. De hoc supra scis multa dicta sunt, quantum hoc sit beneficium, & quomodo ratione illius simus facti serui Christi, illique omnes nostras cogitationes, curas, studia, conatus, labores consecrare debeamus. Sanè etiam si mille nobis vitæ, mille animæ, mille corpora suppetere, & omnia in honorem Dei expendere, parum adhuc esset ad tanti beneficii compensationem.

Quintus,  
Adoptio.

Quintus est, *Adoptio diuina*; & consequenter ius vitæ æternæ. Hæc quoque beneficium tanti est, ut nec infinitis obsequijs compensari valeat. Quid enim sunt opera nostra omnia ad excellentiam filiorum Dei, & ad tantam gloriam quæ ipsis est reposita? *Non sunt condigne passionibus huius temporis* (inquit Apostolus) *ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Etiam si mille annis laborandum esset pro Christo, millies mors oppetenda, & subeunda martyrii tormenta, quid hoc totum esset ad æternam illam & beatissimam vitam, & gloriam filiorum Dei? Quidquid enim temporale est & transitorium, instar nihili est ad æternitatem. Itaque etiam

Rom. 8.



etiam hoc titulo omnia Deo debemus, & omnes vires ac functiones nostræ ipsius honori & cultui dicendæ. Accipit miles pensunculam annuam post diurnos militiæ labores à Principe, & infinitis gratiis actis, reliquum vitæ ipsius dedicat obsequio, numquam non de Principis sui dignitate & imperio amplificando cogitans, paratus quibusuis periculis se obijcere, vbi de ipsius honore agitur: & nos adoptati à summo Rege, & ad cælestem hereditatem vocati, non erimus solliciti de honore ipsius tuendo & amplificando? non totos nos illi addicemus & deuouebimus? Hæc duo beneficia significari etiam solent nomine *iustificationis*, quia iustificatio vtrumque complectitur, absolute tamen sunt distincta.

163 Sextus titulus est ratione *Incarnationis Verbi diuini*. Hoc immensum proorsus est, adeo vt licet infinitæ singulis supererent vitæ, omnes meritis traheret in sui famulatum: nam etiam infinitorum Angelorum & infinitorum hominum bona opera, seruitutes, cultus, honores, laudes, gratiarum actiones, huic vni beneficio paria esse nequeunt. Infinitè enim maioris momenti est Dei illa humiliatio, quam totius creaturæ obsequium & bonum vniuersum. Itaque si tanta maiestas nostræ salutis causa ita se demisit, vt nostram naturam, nostras infirmitates & miserias assumeret; quidnam tandem erit vel tam humile & abiectum, ad quod honoris ipsius causa nos non inclinemus; vel tam arduum, quod non agrediamur, vel tam asperum, quod non amplectamur?

Sextus, Incarnationis beneficium.

164 Septimus titulus est ratione *laborum quos Verbum incarnatum pro salute nostra suscepit*, quibus mundum illustrauit, viam salutis docuit, & exempla omnium virtutum dedit. Obstrinxit nos Dominus laboribus & sudoribus suis, vt nos vicissim ipsius gloriæ nostros labores & sudores consecræmus. Quid enim minus rependere possumus? Omnes omnium mortalium labores minimo Domini labore non sunt digni: nam omnis ipsius actio infiniti est pretij, immensi ponderis & æstimationis. Neque verò parui, aut pauci, aut breues fuere labores illius, quos in salutem nostram exantlauit, sed maximi, innumeri, & assidui, præsertim triennio & trimestri postremo vitæ suæ, vt ex Euangelistis constat. Quis nunc inducat in animum, vt vel conqueri, vel opinari se nimium pro honore Dei, pro salute proximorum laborare, cum videat Dominum nostrum tam ingentes & assiduos labores cum tanta fatigatione corporis, tantisque incommodis, pro salute nostra subire? *Quid non suauetibi*, inquit S. Bernardus, *cum tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui,*

Septimus, Labores Christi.

Serm. De quadr. debito.



ni tui, & rememoraberis p̄simū quidem illarum infantilium necessitarum, deinde laborum quos pertulit in predicando, fationum in discurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo: postremò periculorum in falsis fratribus, conuictorum, sputorum, colaphorum, irrisionum, subfannationum, exprobrationum, horumq; similitum, qua in salutem nostrī generis triginta tribus annis operatus & passus est in medio terre.

Octauus,  
Passio.

Bernardus  
De quadruplici debito.

Octauus est ratione Passionis & mortis Christi Domini. Sanguinem pariter & vitam cum immenso cruciatu salutē tuę profudit; quid magni p̄stiteris, si vicissim in ipsius honorem, sanguinem & vitam exhaueris? quid enim est vita nostra ad vitam ipsius? vita vermiculi ad vitam Dei, quę tamen posita est pro vita vermiculi? Sicut nihil ad aliquid nullam habet comparationem, ita & vita nostra nullam habet ad vitam illius proportionem; cum illa dignior, ista miserius esse non possit. Cū ergo, inquit idem S. Bernardus, ei donauero quidquid sum, quidquid possum, numquid istud sic est, sicut scella ad solem, gutta ad fluiuium, lapis ad montem, granum ad aceruum? Non habeo nisi minuta duo, imò minutissima, corpus & animam, vel potius vnum minutum, voluntatem meam, & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficiis p̄uenit, qui toto se totum me comparauit? alioquin si illam retinero, qua fronte, quibus oculis, qua mente, qua conscientia vado ad viscera misericordię Dei nostri, & audeo illius Sanguinis non guttas, sed vndas à quinque partibus corporis in meum pretium detorquere?

Nonus, Eucharistia.

Nonus est ratione Eucharistie. Hoc beneficium simpliciter infiniti est pretij, & nos totos, nostraq; omnia vicissim postulat antidoron. Si enim Deus se totum dedit nobis, non solum in socium, in amicum, in magistrum, in exemplum, in redemptorem, in pretium & lytron, in hostiam & sacrificium, sed etiam in cibum & potum, in alimentum vitę eternę, vt sit in nobis, & nos in se transformet, suoq; spiritu viuificet, & immortales ac beatos corpore & animo efficiat; cur non debeamus in vicem nos totos in eius famulatum expendere? aut quid exultationis poterimus obtendere, si aliud cogitationes & studia nostra conuerterimus? quid amplius potuit nobis conferre? quibus modis arctius nos sibi obstringere, aut amorem & obsequium nostrum vehementius sollicitare & exigere? Ipse tantę maiestatis Dominus in salutem mei pusilli vermiculi tam multis, tam miris modis se impendit & expendit, & vt ita dixerim exhauit; & ego ipsius glorię, cultui, & obsequiis me non



non impendam? Etiam si infinitas haberem animas & vitas, omnes iam essent obnoxie, omnes iure naturæ illi addictæ.

167 Decimus est *thesaurus meritorum Christi*, & infinitæ miserationes inde nobis impensæ. Quanti hic valeat ad salutem, optimè novit diabolus, qui tanto studio tantisque viribus per suos ministros hæreticos nititur vascula illa, quibus ille nobis applicatur, (Sacramenta dico) evertere. Ex hoc thesauro est omnis nostra satisfactio, omnis reconciliatio, iustificatio, adoptio, & omne ius gloriæ. Quoties à peccatis resurgimus, toties hic thesaurus nobis communicatur, ut per illum Deo pro iniuria satisfaciamus, & adoptionem amissam redimamus. Quantum est hoc beneficium, ex quo nobis tot & tanta beneficia? Omnis iustificatio est immensi pretij: quoties itaque iustificati sumus à peccato, tot accepimus immensa beneficia. Quòd si vel vni beneficio, quod immensum sit, pares esse non possumus, etiam si omnium hominum & Angelorum bona opera rependeremus; quomodo tot eius miserationibus, quibus nos toties iustificavit (hoc est, toties à peccato, à morte aeterna, & diaboli tyrannide eripuit, toties pro nobis diuinæ iustitiæ debitum nostrum persolvit, toties spiritum adoptionis & ius regni aeterni restituit) vllò modo respondere poterimus? Quis ista considerans, putabit se aliquid pro Deo fecisse, vel labores suos poterit magni pendere? *Quis*, inquit S. Bernardus Serm. De quadr. debito, *amplius grunniet, dicens: Nimum laboramus, nimum ieiunamus, nimum vigilamus; cum nec mille sine, imò nec minime parti debitorum suorum valeat respondere?* Parum est quod sumus, quod habemus, quod possumus, & hoc totum iam illi debitum ob creationis beneficium. Quid ei pro tot aliis immensis beneficiis rependemus? Nihil superest, nisi ut milles imò infinities nostra duo minuta replicemus, eadem semper offerentes, & infinitis nominibus nos illi debitores & servituti eius addictos confitentem. His addi potest consideratio beneficiorum particularium, quæ in singulos priuatim collata, de quibus supra Cap. 18.

Ex his constat, quantis titulis & nominibus Deo sumus obstricti, cuique omhem debeamus servitutem: ac proinde nisi ingrati & indigni eius misericordia esse volumus, nos totos eius honori & obsequio addicere & consecrare debere.

168 Quartum quod Deo rependere debemus, est *gratiarum actio, laus & benedictio*. Et quamvis hæc in obsequio & cultu, cui nos in tertio addiximus, contineri videantur; tamen quia in his spectatur

V v 2 pecu-

Decimus,  
thesaurus  
meritorum.

Bernardus  
suprà.

Quartum,  
Gratiarum  
actio.



peculiare officium gratitudini proprium, ideò aliquid de eis seorsim dicendum.

*Laus.*

*Laus* est deprædicatio excellentiæ alterius, præsertim in factis. Propriè enim laudamur ex ijs quæ subsunt nostræ libertati. Sic Deus passim in Scripturis laudatur ex operibus iustitiæ & misericordiæ, & ex opere creationis & gubernationis. hæc enim sunt libera & excellentissima opera. Interdum etiam extenditur ad excellentias naturales (quamvis hæc potius honore quàm laude sint dignæ iuxta Aristotelem) ut cum quis laudatur ab ingenio, à nobilitate, à robore corporis, à pulchritudine. Sic Deus aliquando à magnitudine, à omnipotentia, à sapientia, à sanctitate, à bonorum omnium plenitudine laudatur. *Laus* diuina carmine concepta vocatur *Hymnus*.

Psal. 150.  
& 144. item  
146. 134.  
135.

*Benedictio.*

*Benedictio* nihil est aliud quàm boni imprecatio: ut cum quis voto & verbo alteri benè precatur. Continet duos actus, alterum voluntatis, quo vult ei bonum; alterum intellectus, quo illud bonum, quantum potest, confert. Est enim locutio practica interna vel externa, qua & exprimit affectum, & facit quod optat, si subest eius potestati: si non subest, tunc est inefficax, non defectu affectus, sed potestatis. Nostra *benedictio* erga Deum est inefficax, non defectu voluntatis & amoris, sed vel potestatis, vel etiam quia totum illud bonum quod ei imprecamur, possidet: & tunc habet vim gratulationis. *Gratulatio* enim est expressio & significatio gaudij, quod quis haurit ex eo quod, amicus aliquod bonum sit consecutus, vel iam possideat. Quod si bonum sit extrinsecum, & nondum obtentum, ut cum cupimus ut omnes mortales illum cognoscant, timeant, ament, colant & laudent, tunc si vera est *benedictio*, debet esse efficax, quantum in nobis est, nimirum ut vi illius incitemur ad illud bonum pro virili nostra promouendum. Dei verò erga nos *benedictio* semper est efficax, & confert totum quod imprecatur: quia facultas suppetit ad omne quod vult, & verbum eius ad quiduis efficiendum sufficit. Sicut si Rex, in cuius manu sunt omnes opes & dignitates regni, dicat, Esto tu Comes, ille sit Dux, ille Gubernator talis loci, tu posside tot millia annua, eo ipso illi hæc bona consequentur.

*Gratiarum actio.*

*Gratiarum actio* est professio beneficii accepti ad benefactorem directa in quamdam compensationem. Agere enim gratias, nihil est aliud quàm profiteri gratiam beneficii, (id est, te gratis absque tuo merito, ex dono & liberalitate benefactoris accipere,) idque ut ipsi



ipsi hanc laudem & veluti honorem pro accepto beneficio quasi rependat. Vnde etiam est genus quoddam honoris, quo te quodam modo benefactori humilias, & eius quamdam excellentiam profiteris. Quam ob causam etiam cum visitata & communi honoris exhibitione fieri consuevit, verbi gratia, aperiendo caput, inclinando corpus, &c.

169 His explicatis, dico nos debere Domino Deo nostro gratiarum actionem infinitam; nempe infinito tempore in futurum, infinito affectu & significatione gratitudinis, & infinita cum animi demissione. Ratio est, quia beneficia eius & sempiterna sunt, & infinita æstimationis, tum in seipsis, tum ratione modi quo nobis sunt collata; & nos illis infinite quodammodo indigni. Simili modo debemus illi infinitam laudem & benedictionem, infinitum amorem & obsequium, tum quia infinito amore, obsequio, benedictione & laude ob infinitam suam perfectionem in se dignissimus est; tum quia ipsius beneficia ex parte sua hanc infinitam compensationem postulant, quamvis ex parte creaturæ ea præstari non possit. Infinite itaque in omnibus absumus ab eo quod ipsi est debitum, seu ab eo quod ipse ex parte sua meretur. Ut tamen ex parte nostra prestemus quod possumus, animos nostros ad laudes diuinas crebro excitemus, & cum Propheta dicamus: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum.* & alibi: *Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi. Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in seculum, & in seculum seculi;* & quæ sequuntur, ubi laudes diuinæ maiestatis, misericordiæ & benignitatis pulcherrimè exequitur. Rursus Psal. 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo, in generationem & generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo, &c.* & Psal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo, &c.* Et quia admodum exiguum est quod per nos possumus, conemur supplere per amicos, & accersamus in societatem Angelicos spiritus, cælestia corpora, sublunaria omnia, & vniuersam creaturam animatam & inanimam, ut nobiscum & pro nobis Deo de infinita ipsius in nos misericordia gratias agat, eumque laudet & benedicat. Sic Propheta Dauid multis locis miro affectu, & veluti diuino

Quanta gratiarum actio Deo debita.

Psal. 102.

Psal. 144.



amore ebrius, omnem naturam creatam, quæ in cælo & quæ in terra, ad laudem Dei prouocat. vt Psal. 148. *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis: laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius: laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ & lumen: & quæ sequuntur.* Et socij Danieli in fornace Babylonica. *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula. Benedicite Angeli Domini Domino, benedicite cæli Domino, &c.* Laudant creaturæ ratione carentes Deum, tum quia sunt veluti voces quædam, potentiam, sapientiam & bonitatem Conditoris sonantes; tum quia naturam rationalem sua specie ad laudem, & benedictionem excitant; denique per Propositiuam affectu nostro illis rationem, & intelligentiam beneficiorum Dei vouente, dicuntur ad laudem prouocari. Sepissimè autem Propheta Dauid excitat homines ad laudem Dei. Psal. 32. *Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio. Confitemini Domino in cithara, &c.* & Psal. 46. *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis, & quæ sequuntur: vbi omnem creaturam ad gaudium & exultationem excitat ob aduentum Domini.* Vide etiam Psal. 94. 95. 97. 104. 105. 106. 107. 110. 116. 117. 132. 133. 134. 135. 149. 150. Ex quibus discimus, quo affectu & quibus modis Deum laudare, & benedicere, & gratias agere debeamus.

Dan. 3.

Quomodo  
ratione ca-  
rentia Deum  
laudant.

Peruicilis de-  
uotio.

Circa quæ notandum est, non esse inutilem aut femineam deuotionem, si desideres vt vniuersa creatura tecum & pro te Deum laudet, gratias agat, benedicat; aut vt tu ipse tantum Deum ames & laudes, quantum simul omnes Beati in cælo; vel si optes tibi mille vitas, mille corpora, quæ in honorem Dei expendas, vt eius beneficiis aliquo modo respondeas. Sunt enim huiusmodi affectus, etsi inefficaces & rei impossibilis, summi meriti, & signa summi in Deum amoris ac gratitudinis; quia ex quadam redundantia amoris sequuntur, animo in huiusmodi vota præ affectus ardore exæstuant. Sicut enim summæ malitiæ effectuales affectus assumere in malum; ita maximæ charitatis & meriti est excitare in bonum. Quare valdè expedit ijs qui pietati sunt dediti, vt in huiusmodi affectus & pia vota mentem exercent: ex tali enim amoris excessu processere multa ex ijs quæ ex Psalmis attulimus. Verùm ad hunc non peruenitur, nisi attenda diuinæ bonitatis & diuinorum beneficiorum consideratione. Hæc de Misericordia, eiusque operibus, & debito nostro erga illam sint dicta.



## CAPVT XX.

## De Patientia Dei, Mansuetudine, &amp; Clementia.

172 SEQUITVR nunc vt aliquis de Patientia, Mansuetudine & Clementia Dei dicamus: hæ enim perfectiones vel in misericordia continentur, vel ei penitus sunt annexæ. Quod enim Deus non statim vlciscatur iniurias, sed patienter ferat & expectet emendationem, est ex affectu misericordiæ. Vt autem melius explicentur, vtendum exemplis humanis. Agimus de patientia, non quæ in doloribus, sed quæ in perferendis iniuriis venatur. Sicut igitur inter homines Rex quispiam dicitur *patiens*, qui moderatè fert iniurias, & continet se ab ultione quam facile posset inferre: ita Deus *patiens* dicitur, quia iniurias sibi ab hominibus irrogatas perfert ultione cohibita. Superat autem diuina patientia omnem humanam infinitis interuallis: nam & iniuriæ quæ ipsi inferuntur, infinite sunt maiores quàm quæ hominibus; & ipse omnes eas distinctè videt, cum in eius conspectu & præsentia fiant; & acerrimè sentit, & in promptu habet vindictam, & tamen se cohibet, perferens amaritudines & absinthium peccatorum nostrorum. In conspectu eius sunt ex vna parte immensa beneficia quæ in nos concessit, & stupenda facta quæ pro nobis gessit; ex altera parte simul videt ingratitude nostram, & omnes iniurias quæ per vniuersam terram in ipsum loco gratiarum actionis regeruntur, idololatriam, magiam, blasphemias, hæreses, perfidiam Iudaicam, Mahometicam, Religionis sacræ euerfiones, doctrinæ salutaris peruerfiones, sacrorum profanationes, mysteriorum irrisiones, ferocorum suorum periecutiones: periuria, homicidia, adulteria, foetidas libidines, rapinas, furta, pauperum oppressiones, denique omnium suorum mandatorum & institutorum violationem & contemptum. Videt etiam Christianorum animos terrenis addictos, cælestium bonorum incurios, beneficiorum immemores, ingratos, elatos, rebelles, mundo & carni mancipatos, diuini præceptorum negligentes, ad pœnitentiam difficiles, ad omne opus bonum ignauos, & plurimos ex illis, omnibus vitiis & sceleribus coopertos, ipsisque Ethnicis longè deteriores. Hæc omnia videt clarè, distinctè, & sapientiæ suæ libella trutinat iniuriarum istarum pondus immensum; & quamuis doloris capax non sit, sentit tamen eas acerrimè, imò infinite, & ad vindictam pro-

*Dei patientia infinita.*

*Simul in conspectu Dei sunt omnia beneficia quæ ipse in nos, & omnes iniuria quæ nos in illum refundimus.*

pro-



prouocatur. Cernit enim rei indignitatem, suamque maiestatem, & infinitam beneficentiam à sua creatura vilipendi, cohibet tamen iram & manum, etsi mille fulminibus & mille tartaris armatam. Neque solum abstinere à vindicta, sed etiam continuat pristina beneficia, vniuersam naturam, caelestem & terrenam nostris commodis seruire faciens, & ad poenitentiam nos benignè expectans, & insuper excitans, monendo per praedicatorum externos, per inspirationes internas, per Angelicum ministerium, per creaturarum speciem, per Scripturae lectionem, ostentatis praemiis, intentatis suppliciis, propositis exemplis, obiectis terroribus, immissis infirmitatibus, & inflictis variis huius vitae flagellis, ut ad ipsum redeamus, & misericordiae ipsius fruamur bonis. Quid hac patientia admirabilius? Quis unquam Regum iniurias sibi irrogatas vel à subditis, vel ab hostibus, cum vindicandi potestas suppeteret, ita patienter sustinuit? Vix quemquam ab omni memoria antiquitatis reperias, qui post secundam vel tertiam condonationem, ad vindictam non prorumperet, non amplius ferens rei acerbiter. Et quid, obsecro, sunt iniuriae in hominem ad iniurias Dei? nimirum centum denarii, vel potius minutum vnum ad decem millia talentorum, calculus ad montem, gutta ad Oceanum. quò enim maiestas laesi est maior, eò iniuria atrocior: & talis est proportio inter iniurias, qualis inter eos qui iniuria sunt affecti.

*Patientia  
Christi.*

His adde patientiam illam quam in suscepta natura praestitit, dum seruilem induit formam, & nouem menses moratur in utero, dum nascitur in stabulo, dum circumciditur, dum quaesitus ad necem fugit in Aegyptum, dum latet vsque ad annum trigessimum humili specie, plebeio habitu, conuersatione vulgari, nihil magni praese ferens, dum baptizatur à seruo, dum ieiunat & tentatur ab hoste, dum rudes associat discipulos, dum recipit peccatores & cum eis manducat, dum vicos & castella obiens docet populos & sanat infirmos, dum fatigatur, dum famem, sitim, frigus, aestum, imbres perpetitur, dum crebris iniuriis appetitur, dum conuitiis & contumeliis afficitur, dum discipulorum lauat pedes, dum capitur, constringitur, caeditur, irridetur, despuitur, flagellatur, coronatur spinis, perforatur clauis, affigitur cruci, sociatur latronibus, & velut seductor, & diuinæ humanæque maiestatis perduellis, morte turpissima & acerbissima afficitur: & in his omnibus non contendit, non reclamauit, non contradixit, sed tamquam omnis coram



coram rudente non aperuit os suum, & in super etiam pro suis tor-  
toribus Patrem rogavit: qui in hominis figura latens, nihil de im-  
patientia hominis mutatus est. Hinc vel maxime Pharisei Do-  
minum agnoscere debuistis: patientiam huiusmodi nemo homi-  
num perpetraret. Hæc est suprema omnis patientiæ forma: hæc  
nihil sublimius animo concipi potest. Quare velut perfectissi-  
mum exemplar, ad omnes huius vitæ molestias æquanimitèr tole-  
randas, nobis semper ob oculos versari debet.

175 *Mansuetudo* parum differt à *patientia*, quæ in iniuriis cernitur. *Mansuetudo*

Sicut enim patientiæ est, in iniuriis cohibere vindictam; ita man-  
suetudinis, reprimere iram, quæ est vindictæ appetitio. Atqui in  
Deo parum vel nihil ira & vindicta differunt. unde quidquid de  
patientia dictum est, etiam ad mansuetudinem pertinet. Itaque  
dicitur Deus *mansuetus*, quia iniuriis non facile exasperatur in iram,  
non excandescit in furorem, sed pristinam animi dulcedinem &  
serenitatem retinens, fontes suæ benignitatis & beneficentiæ ob  
nostram ingratitude non obturat.

176 *Clementia* cernitur in ignoscendo, dum quis ex animi benigni- *Clementia.*

tate reo pœnas commeritas vel condonat, vel multum imminuit.  
Itaque est pars misericordiæ, vel potius ipsa misericordiæ virtus  
inadæquatè concepta, quatenus nimirum respicit miseriam, quæ  
ex pœnarum inflitu nascitur. Sicut igitur *miseriordia* Dei est in-  
finita, ita etiam *clementia*, quia malum quod ipsa relaxat, im-  
mensum est.

Opera clementiæ sunt, quotidianæ condonationes & castiga-  
tiones, ut cum vel æternas vel temporales pœnas peccatoribus  
remittit; cum varios morbos, pestem, famem, bellum, damna for-  
tunarum, orbitatem, aliatque calamitates & flagella immittit, ut  
à malo reuocet. Sunt enim hæc correptiones leues & momentaneæ  
tendentes ad emendationem, ne in sempiternam miseriam ru-  
amus. Sicut cum pater virga castigat charissimum filium regni he-  
redem ut à malo absterreat, & dignum regno efficiat, non crude-  
lis, sed verè clemens dicendus est: sic Medicus amaras potiones  
exhibet ut grauioribus morbos vel depellat vel præcaueat. Magnæ  
clementiæ est, ingens malum commutare in exiguum, pœnam  
ignis in ictum virgæ vel multam vnius nummi. Commeriti su-  
mus peccatis nostris æternam mortem; Deus misertus nostri com-  
mutat hanc pœnam in temporalem, loco illius inferens morbum,  
paupertatem, exilium, aut similem calamitatem, quæ nullam cum  
• X x                      æterna



aterna illa habet proportionem. Per hanc simul & clementer puniunt peccata præterita, ut illorum amaritudinem non nihil gustemus; & incitat ad penitentiam, dum eius manum sentimus, & absterret à malo in futurum, dum timemus ne similia nobis obueniant. Est enim ista correctio & clemens mali præteriti vindicta, & præsentis medicina, & futuri præcautio. Quanta igitur in istis flagellis clementia! quanta benignitas & suauitas affectus diuini! Quid enim sunt omnes huius vitæ afflictiones ad ea quæ committimus? ad tot gehennas & incendia peccatis nostris debita? & tamen clementiâ Domini per illas leues & breues molestias, omnes inferorum pœnas & aternitatem illam redimimus, & curamur à peccatis, & ad gloriam cælestem præparamur. Vt enim ait Apostolus 2. Cor. 4. *momentaneum & leue tribulationis huius, supra modum in sublimitate aternam gloriæ pondus operatur in nobis.* Ex quibus constat, quanta sit tribulationis utilitas. vnde etiam passim in Scripturis tantopere commendatur. quæ breuitatis causa prætermitto, illud tantum monens cum Salomone Proverb. 3. *Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias; nec deficias, cum ab eo corripueris. Quem enim diligit Dominus, corripit; & quasi pater in filio complacet sibi.* quasi dicat, affectu planè paterno id facit, ut illum ab aeterno interitu vindicet, & dignum hereditate cælesti reddat. Itaque cum gaudio & gratiarum actione disciplina Domini excipienda.

## CAPVT XXI.

*Recollectio precatória de Misericordia.*

Psal. 88.

Psal. 32.

**M**ISERICORDIAS Domini in æternum cantabo. misericordias eius magnas & stupendas, antiquas & nouas, quarum non est numerus. *Misericordia enim Domini plena est terra, & miserationes eius super omnia opera eius.* Tu, Domine Deus meus, primitus de nihilo tenebris in lucem essentia, in speciem & naturam nos eduxisti; in naturam eximiam, inextremabilem, vultus tui signaculo insignitam, & maximis ornamentis cumulatam, nitidum utrosque virtutum aliquam & sensum tui ac bonorum tuorum habere possemus. Ornavisti sensuum vigorem, quo tecum hunc mundum corporeum, & omnia quæ in illo continentur ( in quibus potentia, sapientia, & pul-



pulchritudinis tuæ vestigiis mirè elucent) possemus comprehendere & discernere. Ornasti mente & rationis iudicio ad notitiam veri, ad iudicium boni & mali, ad ascensum & anagogen ex sensibilibus ad intelligibilia: ornasti memoria ad recordationem præteritorum, ne seculi percepta effluerent, ne nouo semper opus esset ad intelligendum labore: ornasti voluntate ad fugam mali & sequelam boni, ad fruitionem finis obtenti, & in primis vt tibi summo bono, & amore coniungamur, & fruitione inhæreamus. Omitto corporis ornamenta.

179 Hæc prima euectio, hæc prima misericordiæ tuæ beneficia, magna, inæstimabilia, sed rudimenta & initia maiorum. Non enim in his constitit effusissima benignitas tua, sed vltius progressa est ad perficiendum opus suum, & ad omne imperfectum nostrum exterminandum. Adiecit itaque euectionem secundam, ad secundum gradum priore multò eminentiorem nos efferens; nimirum ex statu naturæ in statum gratiæ & filiorum Dei, qui omni statu naturæ, quantumuis perfecto & sublimi, est longè sublimior, vt qui nulli substantiæ creatæ naturalis, aut naturali dignitati debitus esse possit. Nulla enim creatura per naturam suam potest esse Filius Dei, heres regni, possessor Spiritus sancti. Hoc nobis secundæ misericordiæ tuæ influxu collatum, hoc in gradu secretorum tuorum facti participes, & conscij arcanorum à sæculo reconditorum; & supernaturali fide, spe ac charitate tibi cohærentes, omnibus rebus creatis facti sumus superiores. Sicut enim in rebus humanis summa quædam dignitas est esse filium Regis, & hic ipse titulus etiam hominem, infimæ fortis facit omnibus venerandum & suspiciendum, omnesque illum beatum prædicant; ita esse filium Dei, & heredem regni caelestis in toto vniuerso est status summæ dignitatis, facitque hominem etiam Angelicis spiritibus venerandum, qui nisi ad similem dignitatem euecti essent, meritò possent illi tantum honoris fastigium inuidere. Hanc ob causam vnus iustus, vnus timens Deum, melior est, & plures apud Deum æstimatur, quam mille (id est innumerabiles) impij. A quocumque abfuerit hæc filialis dignitas, in nihilum computabitur, etiamsi omnibus naturæ ornamentis sit cumulatus.

180 Sed neque hîc misericordiæ tuæ largitas se continuit, verùm ad tertium eumque altissimum statum euexit, nimirum à statu gratiæ & filiationis inchoatæ, ad statum gloriæ & filiationis completæ.

• X x 2 • Dona



Dona enim gloriæ infinitè sunt excellentiora quàm dona gratiæ, quibus in hac vita filiis tuis frui conceditur. Ibi enim est clara visio, hîc fides & obscuritas; ibi possessio summi boni, hîc spes & desiderium; ibi fruitio, hîc expectatio; ibi securitas, hîc anxietas; ibi triumphus, hîc pugna. Quamvis enim nunc simus filij Dei, & ius regni habeamus, nondum tamen illud possidemus, nondum de eo sumus securi, & possumus excidere; nondum nostræ mortalitatis miseris liberati, nondum ignorantia & tenebræ nostræ depulsæ, nondum pronitas ad malum inflexibili rectitudinis regula firmiter castigata. Longè igitur excellentior & sublimior est ille gloriæ status, quàm status gratiæ præsentis vitæ, si bona utriusque spectentur. Hæc fuit tertia & præstantissima naturæ nostræ subiectio, hîc supremus bonorum gradus, in quo omnis miseria & imperfectio depellitur. Ad hunc misericordiæ tuæ immensa benignitas nos destinauit, ut in eo mortalitas nostra absorbeatur, omnis miseria evanescat, omnis inopia & defectus euacuetur, omnis dolor & omnes lacrymæ abstergantur, & nos in consortio bonorum & diuitiarum tuarum in consummata gloria & gaudijs constituamur. Huc cæli & terræ fabricatio, huc totius creaturæ conditio, huc omnium tuorum operum molitio spectat: omnia enim *propter electos*, propter gloriam filiorum tuorum, nimirum ut quàm plurimos ad gloriam & consortium regni tui adduceres.

Verùm cum obtento secundo gradu ad hunc tertium nobis <sup>181</sup> esset nitendum, omnibusque præidiis essemus instructi, ut cum summa facilitate & iucunditate possemus ad illum conscendere; heu! nostrâ vecordiâ (parentis inquam nostri, in cuius arbitrio omnia nostra erant constituta) ordini directionique misericordiæ tuæ nos subtraximus, & à te auersi in exilium sempiternum præcipitauimus. Et sanè longè optabilius fuisset nos in nostrum antiquum nihilum recidere, quàm æternis incendijs, quæ nullo modo iam quædere poteramus, addici. Nihil supererat opis, nihil subsidij ab vlla natura creata; quia à nulla iustitiæ tuæ condigna satisfactio pro crimine nostro poterat representari. Actum prorsus videbatur de genere nostro, nec vlla spes salutis in posterum superesse, cum ecce tu, Deus meus, misericordia mea, nostram perditionem miseratus, rursus succurristi, sed admirando planè & inaudito consilio, omnibusque sæculis obstupescendo; nimirum, ut Filius tuus tibi consubstantialis & coæternus nostram naturam assumeret, & homo passibilis similis nobis effectus, diuinæ iustitiæ nostro nomine



nomine suis cruciatibus suaque morte satisfaceret.

182 Nosam igitur ille naturam apprehendens, & arctissime in unitatem personae sibi adstringens, nascitur ex virgine, prodit in mundi huius tenebras, nostrae mortalitatis excepturus miseras, famem & sitim, frigus & aestum, nuditatem & pauperiem, labores & fatigationes, probra & contumelias, persecutiones & infestationes, mœrores & dolores, acerbitates & cruciatus, crucem denique & mortem. Nascitur in stabulo ut pauper & peregrinus, pannis inuoluitur & fasciatur ut infans, vagit ut mortalis, circumciditur ut Legi subiectus, fugit ut inualidus, later ut imbecillis, vitam agit ut obsecurus, parentibus obedit ut subditus, conuersatur ut homo vulgaris, tempus manifestationis suae expectans: quo appetente, baptizatur à seruo quasi peccator, ieiunat in deserto, tentatur à diabolo, rudes sibi adoptat discipulos, sensimque eos erudit ad perfectionem, obit totam cum eis regionem, salutis viam docens populos, sanans infirmos, consolans afflictos, oppressos à diabolo liberans, peccatores iustificans, ignorantiae tenebras discutiens, mundum illuminans, miraculis conuincens, & Diuinitatis suae veluti stricturas quasdam mortalibus ostentans, ad vitae emendationem & salutis curam omnes excitans.

183 Tandem post caelestem doctrinam impensam, post tot miracula & virtutum exempla, expleturus opus redemptionis nostrae, se totum nobis in pretium expendit, & vitam cum sanguine nostrae salutis profudit, morte ignominiosissima pariter & acerbissima suscepta. Quam indebita miseratio, quam gratuita & probata dilectio, quam inopinata dignatio, quam stupenda dulcedo, Regem gloriae pro vilissimis mancipiis, iisque suis inimicis, assumere formam serui, tot suscipere labores & dolores, ipsam denique crucem sustinere ac mortem! Quis unquam parens simile quid fecit pro liberando filio, aut filius pro parente, aut amicus pro amico, quale fecit Deus pro homine, Creator pro creatura, suprema maiestas pro vermiculo?

184 Sed neque hic stetit illius misericordia: omnes enim suas actiones & passiones pro nobis susceptas, omniaque merita per totam vitam patrata in unum collegit, & ex illis thesaurum nobis perpetuae reconciliationis construxit, quem Sacramentis inclusum nobis instar legati opulentissimi reliquit. Mirabilem planè thesaurum, diuitias infinitas, quibus tam facile & mors sempiterna redimitur,



mitur, & regnum caeleste, aeterna gloria, & possessio Diuinitatis comparatur. Denique ut infinito in nos amoris suo nihil reliqui faceret, Carnem & Sanguinem, quae pro nobis impenderat in lytrum seu pretium redemptionis, nobis reliquit & in Sacrificium, quo iustitiam ipsius nobis propitiemus, & in alimentum, quo in vitam aeternam reficiamur.

Vicisti, Domine, misericordiam tuam omnia exempla, vicisti omnia ingenia, & omnem expectationem creaturarum omnium. Quis ista considerans, non vicissim amet te? quis non sit paratus se totum in tuum obsequium & honorem addicere ac impendere, qui tam multis modis te ipsum totum in nostram salutem impendisti & superimpendisti? Quid enim sunt obsequia nostra ad beneficia tua, ad actiones & passiones tuas, & vita nostra ad vitam tuam? gutta ad mare, calculus ad montem, puluisculus ad globum terrae, imò adhuc longè minus; quia finiti ad infinitum nulla proportio. Quid ergo rependimus tibi, cum vitam nostram & omnia nostra tibi consecramus, praesertim cum tot aliis nominibus & titulis haec tibi sint obnoxia & debita? Debet quisquam decem millia talentorum Principi ex furto, & alia decem millia ex damno dato, & alia ex mutuo, & tantumdem ex emptione, habet tantum minuta duo: an Princeps ille putabit duobus minutis sibi pro tot, debitis tam ingentibus satisfactum? minimè gentium. Sed haec est bonitas & misericordia tua. Et si tanta & tot nominibus tibi debeamus; tamen si duo nostra minuta, animam scilicet & corpus, obsequio tuo tradimus, acquiescis, & satis tibi factum putas, maiora non exigens, & tamen ea ipsa in re non tibi profuimus, sed nobis consulimus. Seruire enim tibi, regnare est, & omnibus relictis tibi soli vacare, soli inhaerere, summa bonum nostrum. Vae mortalium caecitati, quae haec non considerat! Illumina tenebras meas, lux mea, ut magnitudinem misericordiae tuae, & multitudinem miserationum tuarum cognoscam, & cognitam aestimem, & suis appetiem momentis, quantum fas in tenebris huius vitae, eaque mihi semper ob oculos versentur, ut anima mea tanta benignitate, tantisque beneficiis prouocata, vicissim inflammetur in amorem tui, seque totam tibi deuoueat & consecret. Seruiat tibi omnis vita mea, intenta sit in gloriam tuam omnis cogitatio, omnis fortitudo, omne studium, omnis actio mea. Exhauriantur in tuum obsequium omnes vires animi ac corporis mei, ut aliquid saltem tuo rependam amoris, nec omni-



188 omnino ingratus coram te inueniar. *Benedic anima mea Domino, & P. al. 4. 22.*  
*omnia que intra me sunt, nomini sancto eius. Benedic anima mea Domi-*  
*no, & noli obliuisci omnes retributiones eius: qui propitiatur omnibus*  
*iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de in-*  
*teritu uitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus, qui re-*  
*plet in bonis desiderium tuum, quando renouabitur ut aquile iuuentus*  
*tua. Benedicite pariter mecum Domino omnes Angeli & Archân-*  
*geli, omnes Principatus & Potestates, omnes Virtutes & Domi-*  
*nationes, omnes Throni, Cherubim quoque atque Seraphim:*  
*benedicite, laudate & superexaltate illum in sæcula, quia fecit*  
*nobiscum misericordiam suam. Laudent illum celi, terra, Mare,*  
*& omnia que in eis sunt, laudent & superexaltent in sæcula. Illi hon-*  
*or, illi benedictio, illi gratiarum actio ab omni creatura, in om-*  
*ni loco dominationis eius, in omnes generationes sæculi sæculo-*  
*rum. Amen.*



DE